Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

August Pfeiffer

M. Augusti Pfeifferi, Lingg. SS. cœterrarumq[ue] Orientalium Prof. Publ. Extraordinar. in Acad. Witteb. Prælectiones In Prophetiam Jonæ, Recognitæ Et In Justum Commentarium Redactae ...

Vitembergae: Prelo Christiani Schroedteri, MDCCVI.

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn873765303

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn873765303/phys_0001
DFG

91.

Fa – 1092 (91.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn873765303/phys_0002
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn873765303/phys_0003
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn873765303/phys_0004
DFG

Georg. Laur. Goplich Chemnitz
~~Carol. Gottl. Sperbata~~ Opera. in nonnulla Pentateuchi loca
vere Werthemiense corrupta. Witteb 1796. Diss. II.

2. Joach. Jurk. Rau Vindiciae Promissionum de Messia Abrahae factarum
Judaeis ejusd. et iustitiae ab iniuria interpretes Werthemienses illatae
Jen 1796

3 b Jeg. Friedr. Weissenborniur de sapientia Patris in Christo crucifixo maxime
sita. Jen 1796.

4. Christian Pfaffrath de Aegypto Arabiae animalium Arabiae ad Gen 14, 19
20. Witteb. 1718.

5. Jo. Christo. Ortlobius de Caino non desperante ad Gen IV, 3 et vindicta
de serpente non pacto cum Satana ad Gen III, 14. 15. Lips 1716.

6. Jo. Adamaeus de fluvio נחל Gen XV, 18. Helmst 1712.

7. Val. Alberti de Turri Edar ad Gen XXXV, 21. Mich. IV, 8. Lipsiae

8. Jo. Christo. Wichmannus Hanfius de calceo in Hebraeorum sacris de-
ponendo. Exod V, 9. Witteb. 1711.

9. Jo. Gottlobius Carpzovius de discalceatione religiosa in locis sacris
ad Exod III, 5. Jesu IV, 15. Lips. 1729.

10. Christo. Wollius de ignoto Judaeorum et Atheniensium Deo אל אלהי
ad Exod III, 14 et Act. XVIII 20. Lips 1727.

11. Jac. Wich. Auerkampff de significatione vorborum, quibus endu-
rio Pharaonis in historia Mosaica exprimitur Jen 1796.

12. Leonh. Hoffmannus de anulla Hebraea ad Exod XXIV. Jen 1712

13. Christi. Ludov. Schlichtorst de paribus faciendis ad Exod XXV, 33
Lauf XXIV, 5-9. Hal. 1736.

14. Dew de Carmine aureo Pontificis M. ejusq. ingressu in Exod XXVII,
26-30. XXXIX, 21. 31. Levitic. VIII, 9. Hal 1737.

15. Ger. Ludo. Cederus de Balaamo vaticinante eundi non impetrante
ad Num XXII, 20. Jen 1715.

16. Christo Cellarius de Prophetis promissis Deuteron. XVIII, 15. Witteb 1689

17. Progr. de Jesu Davidis filio ad Psalm XXIII, 1-8. Jen 1730.

18. Jo. Christi. Burgmannus de Jehud Orientis ad Isaiae LII 2 Rost. 1720.

19. Maurit. Castens de meretricibus currum Achabis abluentibus ad 1 Reg XXII, 38. Lips 1715.

20. Jo. Meirneri Curriculum vitae Salomonis. Witteb 1655 reuss ibid 1701.

21. Jo. Christo Ortlabius de Castigatione renum nocturna ad Ps XVI, 7. Lips 1713.

22. Jon. Conr. Schrammius de auspiciis ecclesiae N. T. ad Ps XIX. Helmst 1727.

23. Petrus Burgeri Lux historica ad Ps LXVIII. Norimb. 1736.

24. Alb. Joach. de Krakewitz de sacerdotibus ac Leuitis sub N. T. promissis Gryphiae 1729

25. Geor. Friedr. Schroerus de sapientia hypostatica ad Prouerb. VIII. 22. Witteb 1715.

26. Joh. Petr. Grünenberg de initio sapientiae timore Domini ad Prou. IX. 10. Rost.

27. Jo. Henr. Michaelis de Cantico Canticorum Salomonis. Hal 1717.

28. Dan. Rosenfeldius de rosa Saronitica ad Cant. II, 1. Witteb. 1715.

29. Jo. Geo. Dorscheus de natiuitate saluatoris ex radice Jessae ejusq beneficiis ad Jes XI, 1 Argen 1646.

30. Jo. Christo Wichmannshausen de irae et tremoris calice ad Jes. LI, 17. Witteb 1714.

31. Henr. Christo. Lemker de cordis dilatatione ad Jes. LX, 5. 2 Cor V, 11. 13. Lunb 1736.

32. Jon. Conr. Schrammius de uno Assyriorum Deo ab Jesaiae rejecto ad Jes LXVI, 17 Helmst. 1734.

33. Jos. Henr. Opitius de Jeremia inter prophetas primo Lips. 1704.

34. Henr. Jonathan Werenbergius de jugo Jeremiae ad Cap XXVII. XXXVIII. Lips 1683.

35. Jo. Musaeus de jure puniendi liberos propter peccata parentum ad Ezech. XVIII. Lips 1714.

36. Joh. Wesselius de transitu sub virga ad Ezech XX, 37. Lugd. Batau 1734.

37. Jerem. Friederici de Daniele Propheta ejusq. Vaticinio Lips. 1716.

38. Christi. Bened. Michaelis Oratio de Daniele laudabili exemplo typoq. triennii Academici Hal. 1736. a.

39. Herm. von der Hardt Hosear historiae et antiquitati redditur. Helmst. 1712.

40. Gurt. Christo. Stellwagius de uxore et liberis Hoseae ad Hos. 1, 1. Jen. 1736.

41. Matth. Hillerus commentarius in Hos. X, 14. Tub. 1702.

42. Jo. Helo. Willemeri Hosear δυσνοητὸς ad Hos. XI, 7 Witteb. 1680.

43. Christi. Ben. Michaelis de vaticinio Amosi Prophetae Hal. 1736.

44. Aug. Pfeifferi Praelectiones in Prophetam Jonae Witteb. 1706.

45. Joh. Colmar de summa Judaeorum ἀστοργία ad Mich. II, 9 Alt. 1716.

46. Jerem. Friederici de Zacharia ejusq. vaticinio Lips. 1717.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn873765303/phys_0008
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn873765303/phys_0009
DFG

44.

M. AUGUSTI PFEIFFERI,

Lingg. SS. cœterarumq; Orientalium Prof. Publ.
Extraordinar. in Acad. Witteb.

PRÆLECTIONES
IN
PROPHETIAM
JONÆ,
RECOGNITÆET IN JUSTUM COMMENTARIUM REDACTÆ:

Qvibus Emphaſes vocum eruuntur, verus SSæ ſenſus exponitur, ſententiæ variæ & Judæorum & Chriſtianorum adducuntur, falſæ refelluntur & qvæſtiones dubiæ reſolvuntur.

45.

47.

VITEMBERGÆ,
PRELO CHRISTIANI SCHROEDTERI, ACAD. TYP.
ANNO M DCC VI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn873765303/phys_0011
DFG

VIRIS Juvenibus Clarissimis, Eximiis & Præstantissimis,

SS. Theologiæ & Lingg. Orientalium Cultoribus floridissimis,

DN. M. DIETERICO Lüders / Stadensi,

DN. M. JOHAN. HENRICO SYRBIO, Schönbrunnâ Misnico,

DN. M. JOHAN. GEORGIO EILERO, Osnabrugâ Westphalo,

DN. M. JOHAN. GEORGIO BINDRIM, Röwershaga-Mechlenburgico,

DN. M. JOHAN. WINDISCH, Warallio-Hungaro,

DN. CASPARI PETRO HULSEMANNO, Bremensi,

DN. MICHAELI Purrukkern / Auricoronâ-Franco,

DN. FRANCISCO JULIO Lütkens / Lüneburgensi,

DN. ABRAHAM Zincken / Dresdensi,

DN. CHRISTIANO Klugen / Prusso,

DN. JOHAN. JACOBO Klugen / Prusso,

DN. CHRISTIANO Gotthelff Birnbaum / Dresdensi,

DN. JOHAN. SCHNEIDERO, Plaviâ-Variscо.

Dominis Consecraneis meis, Fautoribus & Amicis æstimatissimis,

Auspicatissimum annum & prospera omnia

ex animo P.

NOn puto, *Clarissimi & Præstantissimi Viri*, ad excitandum Sacrarum Lingvarum amorem qvicqvam hodie esse efficacius, qvàm si γνησίως θεολογούντων monita & exempla ob oculos ponamus; Nam *felices* judicat *artes*

D. Hie-

D. Hieronymus, *a.*) *si de iis soli artifices judicent:* nec iter tutius, qvàm si eorum vestigia leganius, qvi ante nos rectè ambularunt. Inter eos autem eminet Magnus Lutherus, qvi aureo *de erigendis Scholis* libello *b.*) hoc velut ex professo egisse videtur. Inde nonnulla repetemus, idq; nativo idiomate, ne Emphasis & enthea svada Megalandri exspiret. Ita ergò inter alia Lutherus: Lasset uns gesagt seyn / daß wir das Evangelium nicht werden erhalten ohne die Sprachen. Die Sprachen sind die Scheiden / darinnen das Messer des Geistes stecket. Sie sind der Schrein / darinnen man das Kleinod träget. Sie sind das Gefäß / darein man diesen Tranck fasset / &c. Ja wo wirs versehen / daß wir (da Gott für sey) die Sprachen fahren lassen / so werden wir nicht allein das Evangelium verlieren / sondern wird auch endlich dahin gerathen / daß wir weder Lateinisch / noch Deutsch recht reden oder schreiben können. Et infra: Die Sophisten haben gesagt / die Schrifft sey finster / haben gemeinet / Gottes Wort sey von Art so finster / und rede seltzam. Aber sie sehen nicht / daß aller Mangel liegt an den Sprachen / sonst wäre nichts leichter ie geredet / als Gottes Wort / wo wir die Sprachen verstünden. Ein Türcke muß mir wohl finster reden / welchen doch ein Türckisch Kind von sieben Jahren wohl vernimt / dieweil ich die Sprache nicht kenne. Darumb ist das ein toll Fürnehmen gewest / daß man die Schrifft hat wollen lernen durch der Väter Außlegen / und viel Bücher und Glossen lesen. Man solte sich dafür auff die Sprachen begeben haben. Denn die lieben Väter / weil sie ohne Sprachen gewesen sind / haben sie zuweilen mit vielen Worten an einen Spruch gearbeitet / und dennoch nur kaum hinnach geahnet / und halb gerathen / und halb gefehlet. So läuffest du denselben nach mit viel Mühe / und könntest dieweil durch die Sprachen denselbigen viel baß selbst rathen / als der / dem du folgest. Denn wie die Sonne gegen dem Schatten ist / so ist die Sprache gegen aller Väter Glossen. Weil dann nun den Christen gebühret / die Heil. Schrifft zu üben /

a. *Tom. I. Op. Epist. ad Pammachium.* b. *T. II. Jen. Germ. à f. 454. s. T. VII. Witteb. Lat. f. 438. s.*

üben / als ihr eigen einiges Buch / und eine Sünd und Schande ist / daß wir unser eigen Buch nicht wissen / noch unseres Gottes Sprache und Wort nicht kennen / so ist es noch vielmehr Sünde und Schande / daß wir nicht Sprachen lernen / sonderlich so uns Gott itzt darbeut / und giebt Leute und Bücher / und allerley was darzu dienet / und sein Buch gern wolt offen haben. O wie froh solten die lieben Väter gewesen seyn / wenn sie hätten so können zur Heil. Schrifft kommen / und die Sprachen lernen / als wir könten / &c. O wie schändet ihr Fleiß unsere Faulheit / ja wie hart wird GOtt auch rächen unsern Unfleiß und Undanckbarkeit. Qvibus subjungere lubet aliud ejusdem κήλευσμα ab initio enarrationis in Psal. XLV. c.) *Sæpe monui, ut Ebræam Lingvam disceretis, nec eam ita negligeretis.* Et mox: *Qvare seriò vos hortor, ne eam negligatis; Periculum enim est, ne Deus hac ingratitudine offensus, privet nos non solum cognitione hujus Sanctæ lingvæ, sed & Græcæ ac Latinæ & totus religionis. Qvàm facile enim ei est excitare barbarum aliqvem populum, ut hæ lingvæ unà intereant.* Et cum lingvam Ebræam iterum iterumqve commendasset, subjicit: *Scio qvantum mihi contra meos hostes profuerit. Qvare hac quantulacunque cognitione* (qvæ beatissimæ animæ modestia est) *infinitis aureorum millibus carere nolim. Et vos quoq; dabitis operam, qui aliquando docebitis Religionem, ut hanc Lingvam discatis, si non pecora campi & indoctum vulgus haberi vultis, qvod editis Germanicis libellis adjutum, utcunqve Evangelia Dominicalia & Catechismum docet.* Martino Luthero suffragatur MARTINUS CHEMNITIUS. *Non possumus*, ait hic, d.) *custodes esse doctrinæ divinitùs repurgatæ, nisi Grammaticam discamus & ame-*

c. *Tom. III. Jen. Latin. f. 444. b.* d. *P. II. LL. Theol. p. 622. conf. & p. 549. &c.*

& amemus. Utriq; succinit D. FRANZIUS non uno in loco. *Hebræa,* inqvit alicubi, *e.*) *& Græcæ Lingvæ studium deserere non potest Theologiæ Studiosus & Theologus, qvamdiu huic facultati in his terris operam aliqvam navabit.* Et alibi: *f. Nisi Lingvam Sp. S. intelligat interpres Scripturarum, nec seipsum, nec Ecclesiam ædificabit aut juvabit. Malum est, qvando Lingvæ Sp. S. interpreti sunt sicut tibia & sicut citharæ & sicut alia in anima, qvæ sonum qvidem edunt, citra tamen distinctionem. Imò qvando sunt ipsi veluti homo barbarus aut Turcicus aut Indianus Germano, qvi nec Barbaram nec Turcicam nec Indicam Lingvam vel legere vel intelligere novit. Talis interpres cogitur oculis alienis videre, auribus alienis audire, cogitur habitare in alterius cerebro, intellectu & judicio. Et tunc facilè contingere potest, qvod habet Christus* Luc. VI. v. 39. *Nunqvid potest cæcus cæcum ducere, nonne ambo in foveam cadunt?* Qvin & contemtoribus horribile carmen denunciat: *g.*) *De diligentia in Hebræis collocanda dixi, & eum, qui secus fecerit, occasionibus g. adolescentiæ & Academicæ vitæ abusus fuerit, nec fundamenta intima fontium comparare sategerit, divinam vindictam experturum pronuncio.* Nec minùs graviter monet Venerandus Senex B. D. JAC. MARTINI libro Germanico, qvem *Speculum rationis* inscripsit, verbis inter alia hisce: *h.*) Wer im Studio Theologico recht und wohl studiren will/ muß Grammaticam hoch halten/ und allerhand Sprachen lernen/ damit er nicht per interpretem, sondern den Heil. Geist in seiner selbst eigenen Sprache hören/ ihn verstehen und mit ihm reden/ von den versionibus judiciren/ die Wiedersacher/ so die fontes turbiren/ hintertreiben/ confutiren und mächtig überwinden könne. Was bedarff es viel Worte? Es werden ausser allen Zweifel die Sprachen gezehlet unter die Gaben/ welche von Gott dem HErrn zur Erbauung der Kirchen gewidmet/ verordnet und gegeben sind. Et qvid inter Theologum Ebraicè doctum & ἀνεβραῖον intersit, ita exponit: *i.*) Der gelehrte und perfectior Theologus kan mit dem H. Geist in seiner Sprache selber reden/ das kan der gemeine Pre-

e. de Interp. SS. p. m. 11. *f. Præf. Tr. de Interpr. S. p. 5.* *g. de Interpr. S. p. 451.* *h. L. II. c. 11. p. 818.* *i. L. II. c. 40. p. 1114.*

ne Prediger und der Ley nicht thun. Derowegen so kan auch jener sich fester fundiren/als dieser. Denn jener bedarff nur den Glauben der Worte des Heil. Geistes/dieser aber das nicht allein/sondern muß auch dem Interpreti und dem Dolmetscher gläuben; Hat derselbige recht vertiret/so lieset und verstehet er auch recht/hat er aber in der Version gefehlet/wie deñ solches leichtlich geschehen kan/so wird er auch betrogen und in Jrrthumb geführet/&c. Sed & laborisissimum D. GERHARDUM audiamus: *Miserum est*, ait ille, *k.*) *in re tanta* (expositione SSæ) *alienis videre oculis, eum præsertim, qvi aliorum oculus est constitutus, at fieri neqvit, qvin aliorum judicio innitens aliqvoties fallatur. Concludimus igitur Hebrææ Linguæ cognitionem Theologo esse necessariam, ut fontes ipsos V.T. adire, proprietates & ἐμφάσεις vocum investigare, doctrinas in unâ sæpiùs vocula latentes perqvirere, textum solidius explicare, & pressiùs adversarios refutare possit.* Sed plura alibi dedimus. *l.*) Sapienti sat: nisi fortè nimis. Si autem cujus animum tot seria & salutaria monita nil afficiant, eum saltem moveant eorum exempla, qvi Theologiæ suæ excellentem Lingvarum Sacrarum θεόγνωσιν felicissimo eventu præmisere, è qvibus nominandos ducimus Heroa *Lutherum, Joh. Forsterum, J. Avenarium, Salom. Gesnerum, Christoph. Helvicum, Wolffg. Franzium, Matth. Havenrefferum, Luc. Osiandrum, Cœlest. Myslentam, Sal. Glassium, Mich. Waltherum, J. Tarnovium, Joh. Georg. Dorscheum, Jac. Wellerum, Gerhardum* utrumq; & alios in cœlis triumphantes, nec non qvos veneramur (& utinam qvàm diutissimè) vivos *D. D. Mart. Geierum, Abrah. Calovium, J. Ad. Scherzerum, Aug. Varenium, Joh. Müllerum, Seb. Schmidium, Mich. Hanekenium, J. Acolutbum, Havemannum, J. Ben. Carpzovium*, aliosq;, qvorum virtutibus DEUS annos qvàm plurimos & felicissimos addat! Horum merita tantum abest, ut assequantur ii, qui studiis SS. Lingvarum Scholastica, qvæ vocant, præferunt, ut aurea illorum scripta ne legere qvidem

k. *Method. Stud. Theol. p. 84.* l. *Ex Magn. D.D. Calovio Isag. Theol. B. 4. b. D. D. Matth. Hoë Præf. ad Lect. Tom. 8 Comm. in Apoc. J. Tarnovio Præf. Exerc. Walthero Offic. Bibl. p. 680. & Prol. 1. Gramm. Ebr. Dannhauero Idea Bon. Int. p. 73.*

qvidem sine offendiculo qveant, ad litteras qvippe Ebraicas, qvas τοῖς νέοις μηδέποτε τῆς δὲγέγεσι μηδεπώποτε discendas rentur, non aliter consternati, *qvàm nudis qvi presit calcibus anguem.* Hinc illæ lachrymæ: hinc carpunt, qvod non capiunt, & qvos imitari non possunt, insectari contendunt, saltem ne soli desipiant, omnes sui qvàm simillimos efficere cupiunt. Sed talium hominum voces vos, *Viri Juvenes Clarissimi & Præstantissimi*, obturatis auribus prætervecti, in cursu Lingvarum Sacrarum & Orientalium ea hactenus spatia confecistis, ut Vobis non tàm sim monitor, qvò Lumina Ecclesiæ nostræ memorata imitemini, qvàm laudis Vestræ præco, qvod pro virili imitemini. Nunqvam Vobis probata est plumbea illa sententia, qvam cordato discipulo *Lud. Vivi* ingerebat ineptus ipsius Præceptor *Joh. Dullardus* (vel *Dulbardus* & sic verè vir sui nominis.) *Qvantò eris melior Grammaticus, tantò pejor Philosophus & Theologus.* Vos pergite modò iter, quod ingressi estis, & ad scopum, qvem intenditis, pleno cursu contendite, & decus Lingvarum contra quosvis *Dulbardos* asserite. Non deerunt Patroni, qui suo tempore virtutibus Vestris digna tribuant præmia. Cœterum Testem navatæ Vestræ in his litteris operæ & Obsidem intimioris amicitiæ offero *COMMENTARIUM præsentem IN JONAM*, publicè antehac prælectum & nunc non unâ accessione auctum. Commendet ille nomina Vestra omnibus, ad qvorum manus pervenerit; Deusq; Vos faciat vasa misericordiæ & gloriæ suæ, quod sub hujus anni auspicium devotè precor

VV. Clarit. & Præst.

Witteb. A. C. cIↃ. IↃc. LXXI.
IV. Non. Jan.

addictissimus
AUGUSTUS Pfeiffer.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn873765303/phys_0018
DFG

PROLEGOMENA De JONA.

§. 1.



NOMEN יונה est Ebræum, & notat *columbam*, à Parentibus, ut videtur, bono omine impositum, & quod mansveta sit columba, & quod Ecclesia conferatur columbæ, ut cumprimis è *Cantico* patet *c.2.v.14. c.5.v.2. c.6. v.9.* Alii Jonam ab oppressione & afflictione vel ipsius, vel Israëlis dictum censent. *V. Zeph.3. v.1. Jerem.46. v.16.* Ineptè v. Hugo Grotius Jonam deducit ex יון, quasi fuerit *Græcanicus*, simulq; observat, apud Græcos *vates* fuisse *Amythaonidas*. De quo usurpamus verba Cocceji: *Quid hæc nisi deliria? Quo multa legisse & observasse, ut in somniis, apud animum nostrum omnia confunduntur?* Cæterum & impostor *Muhammed* Jonæ non unam mentionem facit. Qvasi ex professo de Jona & Ninevitis agit *Sur. X. à v. 69. seqq* qvam idcircò יונס s. *de Jona* inscripsit. Sed qvando eum commemorat *Sur. 21.* qvæ *Prophetarum* dicitur, *v. 85. seq.* appellat רבי אלנון, qvæ vox Beidavio est: צאחב אלחות *Socius piscis*; Hottingero: Ἰχθυοφάγος; nobis

potius : Ἰχθύαιδρος, ex דו *præditus, possessor*, & נון *piscis*. Conf. Golius *Lex. Arab. c. 2489*.

§. 2. *PATRIA* ejus erat *Gath*, non Philistinorum, ut sensere Epiphanius, Theodoretus, Rupertus & Dorotheus; sed *Gath Hepher*, oppidum *Zabulonis Jos. 19, 13*. Conf. & *2. Reg. 14. 25*. Frustra in Thalmude *R. Levi*, ut referunt Is. Abravanel & R. Jac. Abendana, è collatione locorum *Gen. 49. 13*. & *Jon. 1, 3*. matrem Jonæ è tribu *Aser*, patrem v. è tribu *Zabulon* fuisse contendit.

§. 3. *PATER* ipsi fuit *Amittai*, vir seu prophetando, ut Drusius probare conatur *p. 550*. seu aliter celebris. Frivolum enim est, quod è suis notavit Abravanel, dici בן-אמתי non à Patre, sed à *veritate* prædictionum, מפני שנתאמתו דבריו תמיד. Conf. Ribera *n. 2. & 3*.

§. 4. Talmudistæ ap. Abravanalem existimant, Jonam esse filium viduæ Sareptanæ, resuscitatum ab Elia *1. Reg. 17, 22*. qvod ex Ebræis Hieronymus adducit; at Dorotheus & Epiphanius *in vita Jonæ* credidere. Verùm, ne de temporis discrepantia dicamus, vidua illa fuit gentilis, ex Sareptâ Sidoniorum, ut patet *Luc. 4, 26*. Jonas autẽ Ebræus ex oppido Zabulonis. Conf. Corn. à Lapide, Christoph. Castrus, Joh. Mercerus, Joh. Coccejus & Tarnovius *in Jonam*.

§. 5. *TEMPUS*, quo vixit & floruit, adeo exactè determinari nequit. Constat tamen ex *2. Reg. 14, 25*. eum sub *Jerobeamo secundo*, vel certè *Joaso* ejus patre, floruisse, qvod defendit Jos. Scaliger *animadvers. ad Euseb. fol. 68*. Conf. Waltherus *Off. Bibl. Rep. post. Arc. 10. §. 1016*. & noster *Obadias p. 18*.

§. 6. Ejus ætate Regem Assyriorum, & sic Ninives, fuisse *Sardanapalum*, qvi & *Tonosconcoleros* dicitur, probant C. à Lapide & Laurent. Fabritius *Partit. Codic. Ebræi p. 116*. qvanqvam alii, ut Grotius, *Phulbelochum* tum regnasse censeant, qua de re infrà dicemus.

§. 7. *OFFICIO* erat *Propheta*, primum in terra Israëlitica, deinceps ad exteros. Duæ ejus in S. Scriptura memorantur prophetiæ, una, de restituendis terminis Israëlis *2. Reg. 14, 25*. altera de ever-

eversione Ninives, qvam nunc tractamus. Quod præterea Ebræi, ut autor *Seder Olam rabba c.18.& 19. ab init.* Raschi & R. Dav. Kimchi *ad 2.Reg.9,1.* Abravanel *in Jon. f.257. c.1.* R. Dav. Ganz. *in Chronol. p.34. edit.Vorstii* &c. ajunt, Jonam missum ab Elisæo ad ungendum Jehu, nullo nititur fundamento.

§. 8. *RES* ejus *gestæ* è *2.Reg.14, 25.* & præsenti libro petendæ sunt, quibus multa, sine ratione, Judæorum fabulatores assuunt, ut in progressu videbimus.

§. 9. *DIGNITAS* ejus atque præstantia vel inde fit conspicua, quod tam luculentum typum Salvatoris gesserit, *Matth 12, v. 40.* Hinc Augustinus *l.18.de C.D.c.30. Jonas non tam sermone, quam sua quadam passione prophetavit, profecto aptius, quam si ejus mortem & resurrectionem voce clamaret.* Quibus addatur, qvod Theod. Snepfius hic monet: *Magni Heroës & Monarchæ periculo multorum hominum nomen, honorem & divitias quærunt: Sed Jonas his omnibus superior est, qui sua concione servavit tot hominum millia.*

§. 10. De *MORTE* ejus nil certi. Isidorus *in vita ejus* ait: ejus *sepulchrum in quadam urbium Geth in viculo demonstrari, qui est in secundo milliario Sephorim, itinere, quo pergitur Tyberiadem.* R. Benjamin Tudelensis *in itinerar. p.52.* Siporiæ in monte sepultum tradit. Ast Autor *de Cippis* ab Hottingero editus *p.74.* in vico *Kena* in vertice montis, in templo gentili, sub pulchro fornice. Incertum utrumque.

§. 11. Notis atqve commentariis illustrarunt Prophetiam Jonæ è Judæis *R.Sal.Jarchi, R.Dav.Kimchi, R. Abr. Aben-Esra, D. Is. Abravanel, R. Sal.Ben-Melech &c.* è Christianis post veteres, Pontificii *Vatablus, Clarius, Arias Montanus, Corn. à Lapide, Christ. Castrus, Franc.Ribera, Sanctius, Gabr.à Costa, Joh. Mariana, W. Estius, Em.Sa, Jac.Tirinus, Joh.Steph. Menochius &c.* Reformati *J. Oecolampadius, J.Calvinus, J.Drusius, J. Mercerus, Rud. Gvaltherus, Joh.Piscator, J.Coccejus, J.Leusdenius &c.* & Nostrates *B.Luth.T.4.Witt.Lat.Just.Jonas; J.Brentius, J.Bugenhagius, Theod. Snepfius, Barthold, Krakevizius, J.Pappus, J.Wigandus, J. Winkelman-*

manus, *J. Himmelius*, *J. Tarnovius &c.* qvibus Practici addi possunt *Phil. Gallus*, *Moses Pflacherus*, *Georg. Edelman*, *Georg. Rostius &c.*

DISPOSITIO GENERALIS.

Prophetia Jonæ in duas partes generales dispesci potest. I. *De vocatione Jonæ priori*, *cui reluctatus est c. I. & II.* II. *De vocatione ejusdem posteriori, cui obsecutus est c. III. & IV.*

CAPUT I.

Continet quinque Partes I. *De vocatione Jonæ* v. 1. & 2. II. *De fuga Jonæ* v. 3. III. *De pœna fugitivo immissa* v. 4. 5. 6. IV. *De Inquisitione in autorem culpæ* v. 7. 8. 9. 10. V. *De consilio Jonæ* à v. 11. ad finem.

PARS I.

DE VOCATIONE JONÆ.

Vers. I.

Et fuit Verbum Domini ad Jonam filium Amittai dicendo:

ויהי) Vau esse h. l. *purè conversivum* & *Pleonasticum*, ut & in frontispicio aliorum librorum Scripturæ, puta *Exod. Levit. Jos. Jud. Ruth, utriusq. Samuel. & Reg. II. Chron. Esdræ*, *Esther*, *Ezech.* communis autorum annotatio est. Vid. *Corn. à Lapide*, *Em. Sa*, *Ribera*, *Mariana*, *Drusius*, *Mercerus*, *Tarnovius*, *Friedlibius*, & alii. Sic & Glassius *Philol. S. l. 4. tr. 1. p. 880.* Hugo Cardinalis censet per Vav. copulari, quæ Propheta in mente servarat. Qvidam divinant præter rem, librum Jonæ esse modo particulam qvandã ex aliqvo grandiori opere decerptam. Ad alias vero res gestas ejus temporis respici vult Oecolampadius. Nos Pleonasmos propriè dictos in S. Scriptura vix admittimus, neque concedimus, Vau illud ab initiis librorum cessare penitus, sed dicimus esse ἐμφατικὸν, & quidem signum attentionis, & quasi NB. quoddam Spiritus S. ut alias הנה/ & in N. T. ἰδοὺ h. m. *Ecce fuit.*

יהוה

דבר יהוה)Phrasin: *Verbum Domini fuit ad N.N.* notare revelationem divinam, factam per immediatam ἔμπνευσιν mentis, ostendit Ribera *in Hos. n. 2. & 3.* Jonathan Emphatice: *Verbum Prophetiæ à facie Domini.* Porro יהוה est nomen DEI proprium. Probatur id Grammaticè, quia gaudet privilegiis Propriorum ab *Ephodæo c. 9.* recensitis. Neque enim pluralem format, nec assumit He Emphaticum, nec affixa, nec constructe usurpatur. Non infert *eventum malum*, (ut voluit Hieronym. ab Oleastro *ad Gen. 2.*) sed ab חוה *essendo dicitur*, quod Deus independenter existat, & essentiam omnibus rebus largeatur, videturque insinuari à Sp. S. *Apoc. I. 4, 8. c. XVI. 5.* per ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. Plura de ejus Emphasi dabit Albertus Voigt / *Del. sacr. p. 8. s.* Cæterùm disceptant Philologi, *num nomen* יְהוָה *habeat proprias vocales, & num juxta illas, quas habet, sit legendum?* Utrumque affirmavimus *Fascic. diss. 8. de Nom. divin. p. 49. ad 161. & Synops. quæst. Philol. disp. 4. q. 7.* Quæ *D. Joh Heinius Prof. Marpurg.* opponere nobis voluit, neminem jure movere possunt, & erit fortè tempus, quod nugis ejus impendamus.

אל יונה) De quo in Prolegomenis.

בן) Dicitur ab *ædificando*, quod familiam, quæ domus Ebræis, ædificet.

אמתי) Syrus truncat מַתִּי. Cæterùm non est appellativum, ut cum Ebræis vult Lyranus, quasi Jonas dicatur *filius veritatis*, sed proprium Patris Jonæ, adjectum Ἀμαθίου, cum & aliis nomen יונה convenire potuerit.

דבר (לאמר & אמר in Ebraismo fermè differunt, ut reden & sagen / ut prius significet indeterminatè, nec τὰ λεχθέντα necessario subjiciantur; posterius ordinariè verba prolata inferat recitanda, quamvis discrimen illud non perpetuo observetur. Drusius לאמר bene vertit: *In hæc verba:*

v. II.

Surge, vade ad Niviven, urbem illam magnam,

& clama contra eam: Nam adscendu malitia eorum in conspectum meum.

קומי) Vi Etymi est locum stabilem & fixum habere, & deinceps in eo loco se movere. Porro in S. Scriptura ex situ habituque corporis occupationes humanæ designantur. Sic *cubare* notat qvietem corporis & mentis: *Sedere* actionem mentis compositæ, corpore cum aliqua autoritate quiescente: *surgere* alacritatem animi ad subeundum officium. Sic h.l. *Surge* i.e. Age, alacriter accinge te, & aggredere negotium tibi injungendum. Conf. Drusius *in Proph. minor. p. 550.* Mercerus *in Proph. V. minor. prior. p. 425.* & Tarnovius *in Jonam p. 10.*

לך אל נינוה) *Nineve* fuit metropolis Assyriæ ad Tigrim sita & condita à *Nino* Beli filio, de qua præter veteres & interpretes h.l. conferri possunt Pererius *in Gen. I. 15. comment. Disp. 3. s.* Barthold. Niehusius *Tract. Chorograph. p. 6.* Buntingius *itinerar. S. Script. p. 189.* De Etymo variæ sunt sententiæ: Quidam, ut Pagninus, deducunt à נוה *habitavit*, quod multum fuerit populis frequentata: Alii à נאה seu *pulchritudine*, ut Hieronymus & Pomeranus: Junius ex נעם *amœnus* & נוה *habitatio*: Joh. Coccejus exponit נוי נָוֶה τὸ καλὸν τῆς οἰκουμένης. Nos cum Nic. Serario *in lib Judith. c. 1. q. 6.* Corn. à Lapide, Drusio & aliis hoc nomen deducimus à proprio *Nini*, quasi נִין נָוֶה vel נִין נָוֶה *Nini habitationem* seu Regiam dicas, unde & profanis *Ninus* atque *Nina* dicitur.

חעיר) ab *excitando*, quod in urbe excitata omnia & perpetuus strepitus.

הגדולה) Additur Μακρίσεως ἕνεκα, ne *Ninive* nostra confunderetur cum oppidulo qvodam ejus nominis in angulo Arabico. Cæterum de magnitudine Nineves præter alios videndi Fullerus *Miscel. l. 3. c. 6.* & B. Waltherus *harm. Biblic. pag. 713. seqq.*

קרא וקרא est alta & excelsa voce clamare. *Vid. Es. 58. v. 1.*

Hic

Hic sub intellige: concionem & prophetiam onerosam de imminente excidio & eversione. *V. c. 3. v. 2.*

עליה) LXX. V.V. Arabs & B. Lutherus vertunt: *in ea*, ad sensum magis attendentes, quam syllabas. Ad verbum: *Super eam* i.e. de ea vel contra illam.

כי־עלתה רעתם לפני) *Nam adscendit malitia illorum* (sc. Ninevitarum, ut sensus poscit. Conf. Glassius *Phil. S. p. 527.*) *in conspectum meum.* Phrasis hæc in S. Scriptura usurpatur de peccatis, quæ in eum aucta sunt cumulum, ut divinam flagitent vindictam, & DEO licet diu tacente quiescente & connivente, se dissimulari amplius non patiuntur. *V. Genes. IV. 10. XVIII. 20, 21. Exod. XXII. 23. Deut. XV. 9. XXIV. 15. Es. V. 7. Jac. V. 4.* Vocantur *clamantia.* In *Pirke Elieser c. 43.* determinantur *falsæ litera contractum, deprædatio, Sodomia.* Scriptura ad species non descendit. Si quid tamen judicamus, ea peccata indigitari videntur, ad quæ postea Ninivitæ, teste Nahum, relapsi sunt.

QVÆSTIO

Cur Jonas missus sit Nineven?

Est hæc prima qvæstio *Abravanelis*, qvi præ supponit, DEUM non tangi tam speciali cura gentium, ut iis Prophetas mittat. Inde concludit *f. 257. 13.* hanc legationem non esse factam ultimo, ut converterentur Ninevitæ, sed ad probationem Jonæ & Judæorum causa, quos sc. Deus per Assyrios castigare voluerit, unde hi ad tempus fuerint servandi. Certè Judæi alias gentilibus, præsertim verò Christianis, non plura fermè privilegia concedunt, qvam bestiis. In hanc rem qvædam diximus *notis ad* סור מרע *lit. M.* conf. & *Examen Abravanelis ad Obadiam præsertim p. 60. 84.* Sed mittamus μισανθρώπους istos: DEUM ex φιλανθρωπία & seria intentione convertendi Ninevitas ad ipsos misisse Jonam probant Theologi & Christiani interpretes. Conf. nunc *Jerem. XII. 14, 15. 16. XVIII. 7, 8. Matth. XXI. 43. Act. XIII. 46. Rom. III. 29. 1. Tim. II. 4. IV. 10. &c.*

PARS

PARS II.

DE FUGA JONÆ.

v. III.

Et surrexit Jonas, ut fugeret Tarsum à facie Domini & descendit Joppen, invenitq; navem tendentem Tarsum, deditq; naulum ejus, & descendit in eam, ut veniret cum illis Tarsum à facie Domini.

ויקם) *Surrexit* i.e. digressus est è loco, ubi phrasi Ebræa *sederat* i.e. habitarat. Surrexit autem aliter, quam volebat Deus: *v.2.* Nam illud קום & hoc ויקם *principio, objecto & fine* differunt.

תרשישה) *Tarsis* ceu appellativum *maris* vel presius *Oceani* capit Hieronymus *h.l.* quasi non certum locum quæreret, sed quo aura ferret. Et Es. II. 22. ait mare Ebræis proprie *Tarsis* dici, *jam* verò è Syriasmo esse. Ὁμώνυμοι Ribera, Zvvinglius, Winckelmannus, nec aliter transferunt Chaldæus, B. Lutherus, Osiander, Italica Diodati, Gallica vetus &c. At alii vertunt ut proprium Urbis, quod in animo habuere LXX. V.V. Syrus, Arabs, Autores novæ Belgicæ, novæ Danicæ &c. Afferuntur pro hac sententia rationes istæ: 1. ה *locale* notat viæ metam; mare erat non terminus ad quem, sed medium & via, præsertim resp. navis. 2. Sic *fugere aliquo* certum terminum importat. *Conf. Exod. II. 15. Jud. IX. 21. 2. Sam. IV. 3. & c. 3.* Cum reliqui filii Javanis *Gen. X.* locis seu regionibus occupatis nomina dederint, tantundem de Tarsis dicendum. 4. Cum maris paulò post mentio fit, ים dicitur. &c. Conf. Münsterus *h.l.* Castrus *h.l. p. 293.* Tarnovius *pag. 17. seqq.* & Arnoldus Bootius *Anim. adv. sacr. l. 4. c. 6.* Cæterum Piscator non ineptè notat, vocem Tarsis, pro ratione substratæ materiæ, qvatuor significare posse: α. Virum, filium Javan, nepotem Japheti *Gen. X. 2. 4.* β. Urbem de ejus nomine dictam. γ. Oceanum

per

per metonym. adjuncti, quod Urbs Tarsis in littore ejus sita commodissimo loco esset, ut inde per Oceanum in varias regiones navigaretur. ∂. Gemmam, qvæ nostratibus dicitur Beryllus Thalasius, vulgò Turckois (Brugthono & Bochar-to *Chrysolithus*) *Exod. XXVIII. 20.* Qui hic Tarsis appellativum volunt, urgent tertium significatum, & Jonam constituisse qvomodocunque aufugere, non præfiniviſse sibi certum terminum: באה תרשיש posse esse בתרשיש q.d. ein Seeschiff &c. Nos lectori optionem relinqvimus. Sed posito, Proprium hic esse, qværitur, qvis locus *Tarsis?* Lyranus, Corn. à Lapide, Castrus, Drusius, Tarnovius, aliique putant esse *Tarsum* metropolin Ciliciæ, patriam Pauli. Theodoretus & Theophylactus *h. l.* Arias Montanus *in Phaleg. c. 7.* & alii Carthaginem Africæ intelligunt. *R. Mebasser* apud Aben-Esram, Abravanel, Mariana *Tunes* seu *Tunetum* urbem Carthagini vicinam, qvæ Arabibus dicatur *Tarsis*. Sed Pineda *l. 4. de rebus Salom. c. 15.* Sam. Bochartus *in Phaleg. l. 3. c. 7. p. 188. s.* & Arnold. Bootius *Animadv. l. 4. c. 7.* operosè contendunt, Tarsis & Tarteſſum urbem in insula qvadam Hispaniæ Bæticæ, qvæ cum *Calpe Carteja* si non eadem, nec tamen procul inde dissita fuerit. Qvam sententiam tum ob accessum nominis, tum quia congruunt cætera Tarsisæ apud Ezechielem tributa, ceu non absurdam admittimus. Quidquid sit, Jonas ad loca remotissima & qvasi ad Garamantas aufugere parabat, ne istam subiret legationem.

מלפני יהוה) Præsentiam DEI se effugere haud posse probè sciebat Jonas ex *Ps. 139. v. 7.* unde hoc soli mentis ejus perturbationi cum Snepsio adscribi vix potest. Qvomodo ergo parabat fugere *de-ad-faciem Domini*? Exponunt quidam phrasin *detractare ministerium*, ut declarat Sulpitius Severus. Nam in S. Scriptura *stare coram quo* est ipsi ministrare ut *1. Sam. I. 22. II. 18. 1. Reg. X. 8. XVII. 1. Deut. X. 8. XVIII. 7.* Itaque *fugere à facie* est *nolle stare*, seu ministerium detrectare. Ita Drusius,

Castrus, Coccejus, Tarnovius, Belgæ &c. Alius est relinquere locum, scil. Judæam, ubi Deus se revelare & præsentiam gratiosam exhibere soleret. Ita Ebræi, Raschi, Kimchi, Abravanel, Sal. ben Melech *h.l.* Autor *Cusari* seu *Cosri P. 2. n. 14* nec abnuunt Lyranus, Brentius, Vatablus, Mercerus Mariana *h.l.* Bertramus *de rep. Ebræor. p. 306.* & Glassius *Philol. S. p. 1120.* Et sanè in S. Scriptura facies Domini sæpiùs est locus, ubi cultus Dei viget *Exod. XXIII. 15. Ps. C. 2. 2. Sam. XXI. 1. &c.* Sic Cain abiit à facie Domini *Gen. IV. 16. h.e.* è consortio Ecclesiæ, ubi Deus se revelabat & colebatur. Interim Judæi hinc malè inferunt, extra terram Israeliticam nullam Prophetiam inspirari, cum tamen revelationes Patriarchis in *Mesopotamia*, Mosi in *Ægypto*, Danieli & Ezechieli in *Babylonia* factæ testentur contrarium.

וירד) Qvidam censent Scripturam condescendere cum vulgo, qvod mare declivius terra putat, & hinc mare ingressos descendere dicit. Sic *Ps. CVII. 23.* At conf. de talibus Dn. D. Calovium *System. T. 1. p. 463.* Abravanel ait, respici ad situm terræ Israelis, utpote aliis altioris. Sive ad cavitatem navis sive ad littus depressum id refert Mercerus. Non errabit, qui dixerit ירד non significare præcisè tendere ex loco altiori in humiliorem, sed simpliciter tendere de loco in locum cum desiderio & festinatione mutandi, ut *Jud. XI, 37. & XV, 11.* Conf. Sixt. Amama *Reg. Tertual. p. 74.*

יפו) Est portus celeberrimus Judæis, petentibus Hierosolymas ex Europa ultimus. Græcè Ἰόππη *Act. 9. 39. Confer. Jos. 19. 46. 2. Chron. 2. 16.* Saracenis hodie dicitur *Jaffa.* Conf. Hieronymus *de LL. Ebr.* Adrichomius *Theatr. T. S. in Dan. p. 23.* Heidmannus *in Palæstin. c. 7. §. 110. seq.*

באה) *Euntem* i. e. mox ituram. Nam Paulò post Futurum per Præsens exprimunt Ebræi. Gonf. Glassius *pag. 678.*

שכרה) i.e. naulum s. ἐπίβαθρον pro sua persona. Ita rectè Aben Esra & Kimchi. At R. Elieser *in Capitulis cap. 10.*

Raschi

Raschi *h. l.* & Abravanel *f. 257. 4. init.* Jonæ festinationem & studium fugiendi exaggeraturi, tradunt, Jonam studio dedisse naulum cum intraret, quod peracto demum itinere solvi potuisset; deinde conduxisse totam navem sive naulum universum solvisse, ne nauclerus alius exspectaret. Utrumqve arrisit Tarnovio. Posterius non credimus? & multo minus admittimus, quod inde eliciunt Judæi, Prophetiam non commorari nisi in homine divite. Certè navis jam onerata erat *v. 5.* ituraqve fuisset, adeoqve de naulo cætero jam conventum erat, si Jonas maximè non venisset. Cæterum nec placet, quod Pater Kimchi, ceu hic refert in שרש *p. 76. Rad.* ברח festinationis causam reddit, ne Deus ipsi miraculum daret, & sic Ninevitæ facilius crederent, damno suæ nationis, qvod tamen vel invito in mari datum sit. Nam sic iviisset potius Nineven Jonas, si sibi citra miraculum fidem habitum non iri credidisset.

QVÆSTIO.

Cur Jonus Prophetiam oblatam subterfugerit?

Theodoretus, Theophylactus, Lyranus, Montanus, Cornel. à Lap. Castrus, Coccejus, Tarnovius, & alii censent, veritum esse Jonam, ne, si Ninevitæ agerent pœnitentiam, & servarentur, ipse, ceu Propheta falsus & mendax irrideretur. At, si veram pœnitentiam egissent, qvi dicerent mendacem? si non egissent, impleta fuisset Prophetia. *Raschi, Kimchi, Ben Melech, Oecolampadius, Belgæ &c.* putant, noluisse eum pudefacere Israelitas, qvi ad tot Prophetarum monita non sapuissent, si Ninevitæ fortè resipiscerent. *Isid. Clarius* ait Jonam reveritum Regis & urbis Nineves potentiam & hostilitatem contra Judæos, è qvibus ipse esset. At qvanqvam in deliberatione cum carne hæc & plura Jonæ succurrerent, præcipuam tamen fugæ causam *Nazianzenus in* Apologetic. *Hieronymus, Remigius, Hugo, Mercerus,* & ex Ebræis *Aben-Esra, Abravanel & Abendana* rectè faciunt amorem nimium in patriam propriamque gentem,

cum ominaretur Jonas, Assyrios Israelitis in pœnam servari, quod haud obscurè patet ex *c. IV. 2.*

PARS III.

DE POENA FUGITIVO IMMISSA.

v. IV.

Et Dominus projecit ventum magnum in mare, & ortus est turbo magnus in mari & navis volebat frangi.

הטיל) Fugientem Jonam Deus retrahit invitum, & ex improviso, cum nil tale cogitassent vectores, *mari* mediterraneo הטיל *injicit* magno impetu, & velut grandi pondere (conf. cogn. נטל) *ventum magnum*, qualis dicitur λαῖλαψ *Luc. 8. 32.* & Josepho 9. *Antiqvit.* 11. in hac historia κλύδων καὶ χειμών.

סער) Est horribilis (conf. שער) & importunus turbo omnia dejiciens *Zach. 7. v. 4.*

חשבה) Navi cogitatio adscribitur per Metaphoram, vel Prosopopœiam, ut dicimus: *Navis minatur* &c. Das Schiff wil untergehen. Conf. Glass. *Philol. p. 1192.* Qvidam per Metonym. intelligunt homines in navi, veritos ne frangeretur. Ita *Kimchi, Ben Melech, Vatablus, Cornel. à Lap. Tarnovius* &c. Tigurini vertunt: *ita ut cogitare quispiam posset.* Sic & B. Luther. daß man meinet/das Schiff würde zubrechen. Abravanel. *fol. 257. 4. med.* novam sententiam prodit, sc. nautas non veritos, ne frangeretur navis, nec enim in medio mari naves frangi, sed mergi: ac potius eo enisos, anxiéqve id qvæsiisse, ut navis terræ allisa frangeretur, quo si nando evaderent saltim homines, alias cum nave mergendi. Quod coactum est.

v. V.

Et timuerunt nautæ, inclamaruntq; qvisq; Deos & projecerunt instrumenta, qvæ in navi erant, in mare,

mare, quo eam illis levarent, Jonas verò descendérat ad latera navis, & cubabat stertens.

ויראו) Licet alias non facilè timeant procellam, quia tamen hæc & insolens erat & insperata, eo magis navi sibique timent.

המלחים) *Nautæ.* Ita dicuntur non à *permiscendo* remis aqvam, ut è *Raschio* citant Kimchi, שרש & Ben Melech *hic*, sed à *salsâ* maris aqva. Ita Virgil. I. Æn *spumas salis ære ruebant*. Sal vexisse nautas fragilis conjectura *R. Japheti* apud Ab. Esram est. Ipse *Consiliarios* navis exponit ex *Ezech. 27.*

איש אל אלהיו) Erant in navi homines diversarum nationum & religionum. Fundamento autem caret, quod Raschi fabulatur è LXX. gentibus in navi fuisse, qvas alias ne qvicqvam è numero filiorum & nepotum Semi, Hami & Japheti eliciunt, ut ostendit Buxtorffius *Dissert. Philol. 2. th. 41. f.* Cæterum qvibusqve peculiaris Deus erat. Sic Ammonitæ colebant *Molochum*, Sidonii *Astarten*, Moabitæ *Chamos*, Asdodæi *Dagonem*, de q uibus aliisqve conferri possunt Joh. Seldenus *de DIS Syris*, & Athan. Kircherus *Oedip. T. 1. Synt. 4.* quod *Pantheon Ebræorum* vocatur, & qvæ nos dedimus *Synt. Antiq. Ebræar. l. 1.* Itaqve איש i. e. *quilibet* ut nos der Mann i. e. ein jeder) יזעקו alta voce invocabat Deastros suos (qvibus μιαιφόνος nom. אלהים i. e. σέβασμα, *venerabile Numen*, à R. ap. Arabes superstite אלה *coluit, veneratus est*, tribuitur) sed sine successu, unde mox ad media externa procedunt.

הכלים) Ejiciunt sarcinas & merces, qvas habebant, ut in extremo periculo fieri solet. *Sc. putant navem solito prægravari onere, nec pondus fugitivi Propheræ intelligunt*, ut Hieronymus ait. כלי est vox generalis notans omne id, quod humanis usibus est destinatum. Dicitur à certo *fine* & qvod negotia humana *expediat, perficiatve.*

מעליהם) sive *se, vel navem, ab illis* כליהם ne sibi oneri essent, ut volunt Tarnovius, Piscator &c. sive *illa à se*, ut Mercerus, Ludov. de Dieu. Sensus eodem redit, at primum magis placet.

ירד) Mariana, Drusius, Ribera & alii rectè exponunt per plusquamperf. *descenderat*, sc. ante tempestatem exortam Id sine causa carpit Castrus, ut videbimus.

ירכתי) i.e. *alterutrum latus*. Ita Ebræi Kimchi, Aben-Esra, Abravanel, Ben Melech; sic & Oecolamp. Tarnovius, Belgæ *h.l.* Glassius *Philol. p. 445.* Dan. Fesselius *Adversl. 10. c. 2. p. 557.* Excell. Dn. Sennertus *Idiotism. p. 27.* Conf. *Gen. 84. Jud. 12. 7. &c.* Malunt tamen Ribera, Drusius, & Mercerus sensum esse. in alvo s. interiori parte navis, ut *Deut. 5. 14.* peregrinus *in portis* i.e. intra portas. Verùm particula אל id h. l. non admittit.

הספינה) est propriè navis magna & supernè *tecta* à סכך.

ויורדם) De sæviente tempestate hactenus ipsi nihil innotuerat, nam composuerat se ante ad somnum, & nunc profundissime sopitus erat. Habent Ebræi tria nomina somnum exprimentia: תנומה à נום levem mutationem; שנה à ישן somnum naturalem & ordinarium sine excessu; denique תרדמה à נרדם profundum & gravem, à qvoqvis difficulter excitatur. Hinc rectè Arabs h. l. *Dormiebat & ronchos ducebat.* Nov. Belg. He lag neder ende was met eenen diepen Slaep bevangen. Genev. *Et y estoit couche & dormoit profondement.* Italic. *E giaceva & em profondamente addormentato.* Conf. Sixt. Amama Bibelsch. Conferentie *p. 422.*

v. VI.

Et accessit ad eum nauclerus, dixit q; ei; Qvid tibi somnolente? Surge, invoca Deum tuum. fortasse cogitabit Deus de nobis, ne pereamus.

רב החבל) Dicitur רב, qui aliis major est habeturve, Magister. חובל est *nauta* à חבלים *funibus*, quia præcipua nautarum peritia consistit in funibus solvendis, laxandis & attrahendis. Hic collective sumitur pro toto collegio nautarum, ut יועץ *Prov. 11. 14.* vid. Drusius & Coccejus. Sine necessitate R. Saadias Gaon חובל per *navim* exponit.

ויקרב) Non fortè incidit in Jonam, dum scrutatur navim, aut dum jactus sit, ut vult Coccejus, sed de industria eum *accedit*, excitat, advocat.

נרדם) Nominaliter: *Somnolente.* Vox objurgantis cum commotione. Ut nos: Du Siebenschläffer/ du Schlaff-Ratze. Malè enim habebat nautas, quod Jonas cæteris periclitantibus, in utramque aurem securus sterteret.

קרא) Non volebant Deum Jonæ in societatem suorum adsciscere, qvo scilicet junctis viribus fortius agerent, ut vult Abravanel; verùm de suis DIS jam desperantes qvasi præsagiebant, Deum illum, quem Jonas coleret, sibi hactenus ignotum, fore & maris potentem & faventiorem sibi: saltem inter omnes fore unum, qui invocantibus subvenire & posset & vellet.

יתעשת) Variè declarant. Jonathan ויתרחם *miserebitur.* Kimchi: ויתרצה. Coccejus: *Serenabitur.* Oecolampad. *Faciet nobiscum.* Ribera: *Mutabit sententiam suam.* Alii aliter. Optimè Raschi, Aben Esra, Ben Melech, Drusius, Mercerus, Tarnovius h. l. Dav. de Pomis, Ph. Aquinas, Buxtorffius Lexic. *Cogitationem suscipiet, curam habebit.* Diodatus: *Prendra soin de nous.* (cogn. עשתנות & עשתנות & Chald. עשית *Dan. 6. 4.*) q. d. fortè ille, cæteris, ut videtur, seu nostri oblitis, seu rei imparibus, de nostra salute, si oretur, cogitabit.

QVÆSTIO.

Cur Jonas in isto discrimine se composuerit ad somnū?

Aben Esra id adscribit æstui marino, qui primum navim ingressos

ingressos sopiat. *Abravanel* censet eum ex pudore & confusione mortem sibi sic accelerare voluisse, cum somnus præceps sit ad mortem via. *Hieron. Theodoret. Theophyl. Chrysost. Remig. Hugo, Lyranus, Montanus, Cornel. à Lap. Mariana, Ribera, Oecolampadius, Coccejus*, & alii h. l. ajunt, Jonam sopitum præmœrore animi, ut Apostoli in horto dormiebant *Matth. 26.* Pomeranus bene observat, hunc somnum Jonæ è quadam securitate fuisse: putabat enim se nunc extra periculum versari, & posse subterfugere injunctam legationem. Hinc securus stertebat, quasi non evigilaturus, donec terram S. longissimè reliquisset. Poterat autem fieri, ut proniorem ad somnum facerent Jonam tum fatigatio ex itinere ad portum Joppensem, tum aliqvot noctium vigiliæ, ut rectè monet *Snepsius*. Cæterum ad somnum se composuerat ante ortam procellam: Si enim ea jam orta cubitum iviſſet, nautæ eum statim revocassent, vel retraxissent, saltim tantum temporis spatium, quo in tam profundum se daret somnum, non concessissent, quod *Castro* reponi potest.

PARS IV.

DE INQVISITIONE IN AVTOREM CULPÆ.

v. VII.

Et dixeruut unus ad alium: venite & jaciamus sortes, qvo sciamus, cujus causa hoc malum nobis? & jecerunt sortes super Jonam.

נפילו גורלו) Cum omnia in cassum facerent, & nec ad Jonæ preces (nam precatum, verisimile est) sedari mare cernerent, concludunt procellam, in tanta malacia tàm subito & insperato, sine præviis signis, ortam, esse præternaturalem; itaque linqvunt media ordinaria, & consilia conferunt (איש אל רעהו id est ex Ebraismo, *unus ad alterum*, inter se)

se) de investigando autore mali, Deoque arbitro rem commissuri ad sortilegium confugiunt, sperantes, Deum morte solius rei placatum iri. Sors illa, Deo dirigente *Proverb. 16. 33.* Jonam capit. De sorte pauca. Ebraismo גורל radicem verbalem non habet: cùm tamen Arabicè גרל *gjáralon* lapidem notet, conjicio nomen inde ortum, quod olim, præsertim apud milites, sortitio fieret lapillis diversi coloris. Sed & aliàs taleolis ligneis, tesseris & schedulis, nominibus sortientium notatis, in urnam vel sinum conjectis & protractis. *Conf. Joel. 3. Proverb. I. 14. &c.* Cornel. à Lap. cum Hugone censet, sortitionem à nautis factam per schedulas, & productam esse ex urnula chartam nomine Jonæ insignitam. Crediderim tamen eos, ad majorem certitudinem, plures sortium species adhibuisse, vel eandem sæpius iteràsse, quò minus dubitarent, subesse suis sortibus θεῖον τι, sive divinam directionem; huc non ineptè refert Abravanel, quod textus pluraliter dicit גורלות. Obiter addemus Hieronymi judicium de sortibus: *Quod Matthias sorte eligitur Act. 1. & hic fugitivus sorte deprehenditur, non agitur virtute sortium, sed voluntate Dei, qui sortes regebat incertas; non igitur hoc exemplo debemus credere, vel uti sortibus, quia privilegia paucorum legem communem non faciunt. Sic voluntate Dei Nebucadnezar & Pharao indicia somniorum futura cognoscunt, nec tamen ubiq; somniis est credendum.* Plura dabit Tarnovius *p. 49. seqq.*

v. VIII.

Et dixerunt ad eum: indica qvæso nobis, cujus causa malum hoc nobis? Quodnam est negotium tuum? & unde venis? qvæ est terra tua? & ex quo populo es?

ויאמרו) Jonam sic deprensum non dant statim præcipitem, sed cautè procedunt, examinant eum, & rogant verbis blandis, edisserat, si norit, qvæ tanti mali causa sit.

הגידה־נא) *Kal* in Ebraiſmo non exſtat. At Arabicè פנר eſt *clarum & manifeſtum eſſe*. Inde הגיד Ebraicè *clarum & manifeſtum reddere*, zuwiſſen thun.

באשר למי) *Verſ 7.* בשלמי. Comprehenduntur, ut Abravanel *fol. 258.* 1. notat, duæ qvæſtiones. 1. באשר *in quo deliquerit?* 2. למי *in quem?* ἐφ' ᾧ εἰς ὅντινα.

מלאכתך (מה־מלאכתך Eſt à לאך rad. ap. Habeſſenos ſuperſtite: *miſit*, notatq; propriè negotium, ob qvod qvis *mittitur, mittitvè alium*. Volunt dicere: Cur conſcendiſti navem? num fortè mali qvid machinaris vel perpetraſti, ideò fugitivus? vel, quod magis placet: Qvæ eſt profeſſio tua? q.d. num fortè magus es, vel prædo, vel fœnerator? Porro: Unde venis? q.d. num fortè ob facinus commiſſum ſolum vertere coactus, ad nos conceſſiſti? Qvæ ארץ? ארצך nec à רוץ *currendo*, nec à רצץ *terendo*, nec רצה *concupiſcendo* deducitur, refragante ubivis, ſi œconomiam vocis ſpectes, analogia, ſed à rad. in Arabismo ſuperſtite ארץ, unde ארץ *ardon* eſt *quidvis humile*, qvod terræ convenit reſpectu cœli, quod שעים à *celſitudine* dicitur. Vid. Hotting. *ad Hiſtor. Hexaëm. p. p. 30.* Porro ארץ vel generaliter ſumitur pro globo terraqueo *Gen. 1. 1.* vel ſpecialiter pro elemento Terræ *Gen. 1. 9.* vel ſpecialisſimè pro certa parte terræ, regione, agro, campo. Vid. Maimon. *Mor. Nev. p. 2. c. 30.* Hic reſpective & per ellipſin pro *patria*, qvam alias ארץ מולדת vocant. Pergunt אי (ואי־מזה עם interrogationi ſervit עם Emphaſis petenda ex Arabiſmo, ubi עם inter alia ſignif. *communis fuit*, ut עם propriè ſit *communio*, *Respublica*, τὸ πολὺ v. Golius *Lexic. Arabic. c. 1643.* & Hottinger. *Smegm. Orient. p. 182.* q. d. num fortè contribules tui & Sympatriotæ ſunt homines extremè impii, ut Sodomitæ, ideoque anathemati obnoxii &c.

v. IX.

Et ait ad illos: Ebræus ſum, & Dominum Deum cœli timeo, qui fecit mare & aridam.

(ויאמר

ויאמר) Jonas in responsione non observat ordinem, qvem in qvæstionibus tenuerant, nam de gente primò respondet, Nimis subtilis est Abravanel, dum probare conatur, his verbis Jonæ eodem ordine ad qvæstiones responsum esse *f.258.1.*

עברי) LXX. ex ἀβλεψίᾳ: δοῦλος κυρίου εἰμὶ ἐγὼ, quos incautus seqvitur Arabs. Drusius *Qvæst. l. 3. q. 6.* non male conjicit, accepisse eos ר pro ד & legisse עבדי *servus Domini* pro עברי. Corn. à Lap. ait, legisse עבדי; sed hoc est, *servus meus.* Qvicqvid illi viderint, עברי est *Ebræus.* Ita & Abraham vocatur *Gen. 14. 13.* De causa appellationis non consentiunt Philologi. Nos aliorum placita exposuimus *Synops. Qvæst. Philol. P. 1. disp. 1. qv. 1.* & probavimus esse nomen Patronymicum, ab *Ebero*, nepote Semi, qvi & Ebræam gentem condidit, & linguam primævam cum vero Dei cultu conservavit. At cur se Ebræum potius dicit, qvam vel Judæum vel Israelitam? Drusius respondet *h. l. p. 562.* Tum temporis Judæos Israelitis s. decem tribubus contradistinctos fuisse. Si ergo Judæum se dixisset, mentitus fuisset, nam Zabulonita erat. Israelitæ autem nomen, ait, ipsi exosum fuisse, qvod infames ab Idololatria essent. Imò nomen עברי ceu generali9 (simul gentis totius & religionis) & externis notius usurpasse videtur. Qvod deniq; Abravanel & Ar. Montanus vocem עכרי appellativè capiunt, q. d. עובר *transgressor* sum: id nimis argutum esse, qvis non videt?

שמים) De radice contendunt autores: aliis deducentibns à שמם *admiratus est, obstupuit:* aliis ex אש ignis & מים *aqua:* aliis ex שם *ibi* & מים *aqua* &c. Verum etymon vidit Aben Esra, scilicet dici cœlum שמים à *celsitudine.* Nam Arabibus שַׁמַּו vel שַׁמַּא est *altum esse.* Ita ut ארץ & שמים sint voces respectivæ, illa ab humilitate situs, hæc à celsitudine dicta, qvo ipse Sp. S. respicere aliqvoties videtur *Ps. 103. 12. Es. 44, 22.* Aben Esram seqvuntur Christiani Philologi Fagius in *Gen. 1.* Pokokius *ad port. Mosis p. 34.* Fabritius *Spec. Arabic. p. 100.* Hottinger. *ad Hexaem. p. 24.* & alii.

(אני ירא) Quod ait: *Dominum Deum cœli* (possessorem & creatorem) *timeo*, à bravanel, sic & Snepsius aliique exponunt: Ad ejus nomen trepido, ab eo mihi metuo. Melius tamen Pomeranus, Winkelmannus, Tarnovius, Mercerus &c. declarant: Eum colo & profiteor. *Conf. Es. 29. 13. & Mal. 1, 6.*

(עשה) Inter ברא κτίζειν, יצר πλάττειν & עשה ποιεῖν, quæ simul occurrunt *Es. 43. 7.* hoc discrimen constituunt nonnulli, ut illud notet rei essentiam producere, istud rei primum conditæ formam addere, hoc rem formatam expolire, omnibusque numeris absolvere. Vid. Mercerus *in Gen. 1.* Id tamen non est perpetuum.

(ואת היבשה) Ita terra dicitur (*v. Gen. 1. 9.*) non ἁπλῶς, quasi omnis humoris expers, sic enim dissiparetur; sed respectu aquæ, à qualitate prædominante. Sensus est: Qui mare & terram fecit (ubi tacita αἰτήσεως *v. Jerem.* 10. 11. utrobique hominem assequi & hanc & illud in eum armare potest. Plura textus hic non addit. E versu sequente tamen constat Jonam, postquam recensuisset gentem & religionem suam, subjunxisse dilucidam narrationem legationis & fugæ suæ. Non itaque excusavit se, ut Kimchi censet; sed Deo dans gloriam, ingenuè fassus est omnia.

v. X.

Et timuerunt homines illi timore magno & dixerunt ad eum: Cur hoc feciſti? Norant enim homines, ipſum à conſpectu Domini fugere, nam indicarat eis.

(ויראו) Cum Nautæ audirent subversum iri ob peccata magnam Niniven, viderent comitem suum à DEO Ebræorum potentissimo, quem sciebant se hactenus non coluisse, puniri, angore conscientiæ corripiuntur, & sibi non minus quam Jonæ *timent timore magno*, (verbum cum nomine conjugato constructum, intendit significationem. Vid. Glass. *Philol. p. 618.*) quod & peccatoris vectores hospitesve, ipsique pecca-

peccatores essent. Non malè Cornel. à Lap. h. l. *Cum prætor furem persequitur, extimescit & hospes, cujus ingressus domum est, ne & ipse & sui, ut complices & socii, capiantur & plectantur.*

מה זאת עשית) Hieron. *Quid hoc feciſti? i. e. ſi times DEUM, cur fugis? ſi tantæ potentiæ prædicas, quem coles, quomodo te putas posse evadere?* Cæterum inqvirunt in facta aliena, sua negligunt.

QVÆSTIO.

Unde nautis suspicio, penes se mali reum esse?

Certè id mirum videri qveat. Nam procul dubio & aliæ naves in mari mediterraneo erant, posset in alia qvadam delitescere maleficus, & sic inanis sortitio. R. Eliesèr *in Capitulis cap. 10.* Raschi, Kimchi, AbenEsra, Abravanel & Abendana *h. l.* sic & Theodoretus, Dionysius, Ar. Montanus, Castrus aliique censent, solam illam navem, qva Jonas vehebatur, procella infestatam esse; cæteras qvietè & tranquillè in conspectu nautarum transiisse, adeoque turbinem non occupasse totum mare vel maximam ejus partem, sed tractum modo circa navem Jonæ. Id refellit Ribera, & qvod SSra sileat, & quod vix credibile sit, tantillum spatium intelligi, cum ventus in mare projectus dicitur. Qvicqvid sit, nautæ, maris periti, procellam insolentem & miraculosam esse, sciebant. Poterat fieri, ut viderent alias naves, licet in procella, saltim non tentare tam infeliciter omnia. Vel certè cum suspicarentur καταφρονήτην in mari, primùm sorte experti sunt, num iste intra, an extra navem esset: deinde, qvis intra eam.

PARS V.

DE JONÆ CONSILIO ET ΚΑΤΑΠΟΝΤΙΣΜΩ.

v. XI.

Et dixerunt ei: Qvid faciemus tibi, ut conticescat

mare à nobis infestandis? *Nam mare magis magisq; tumultuabatur.*

מה־נעשה) Nautæ libenter Jonæ, ceu Prophetæ, parcerent. Hieron. *Magnus est, qui fugit, sed major ille, qui qværit: non audent tradere, celare non possunt.* Qvid faciemus tibi? *interficiemus? cultor es Domini. Servabimus? DEUM fugis.* Hinc, ubi jam proditus, ipseqve fassus esset rem omnem, ipsi relinqvunt arbitrium & optionem pœnæ, vel saltim exponat, qvid in tanto discrimine faciendum, ut mare dimittat, qvos sors absolvisset: Interea vident mare majores semper undarum vortices volvere, & quo magis cunctantur, eo magis intumescere, ut nulla spes superesset tranqvillitatis, ipso præsente, redituræ.

וישתק) *Vau* causativum, idqve finale. Radix שתק propriè est repente obmutescere, ac si qvis fortè apoplexia corripiatur. Hinc שתוק Talmudicis *Apoplexia.* Conf. *v. 12. & 15.*

מעלינו) Alterutra particula videtur multis πλεονάζεσθαι. At sine causa. מ est στερητικὸν, *ne amplius sit* עלינו *super nos* i. e. nobis molesta procella.

כי הים הולך) Kimchi ait, & hæc nautarum esse, q. d. vides enim maris motum ingravescere. Alii, ut *v. 13.* historici: *Ibat & tumultuabatur* i. e. magis magisque. Vid. *Gen. 12. 6. c. 8. 3, 5. c. 26. 13. Esth. 9. 4 1. Sam. 14. 19. 2. Sam. 3. 1. Jud. 4. 24. &c.* In eum sensum vertunt Arabs, Genevens. Italica, Belgica nova, Danica nova &c.

v. XII.

Et ait ad illos: Tollite & projicite me in mare, tunc qviescet mare à vobis infestandis. *Nam novi quod mei causa turbo hic magnus vobis* incumbat.

שאוני) Q. d. Ego illud κάθαρμα (*1. Cor. 4. 13.*) piaculum hominis sum, me, ceu molestum vobis onus, ejicite. Novi qvippe,

qvippe, (Dei instinctu) mei causâ mare in vos sævire, & pacatum iri, si ejiciar. Cæterum, qvid de se deinde futurum sit, nondum tunc sciisse videtur. Conf B. Luther. *h. l.* נשא est propriè *tollere* id, quod *oneri* est, hinc & משא *onus*.

v. XIII.

Et remigarunt homines, ut reducerent navem in aridam, sed non potuere. Nam mare magis magisq; tumultuabatur contra illos.

(ויחתרו) חתר Propriè est *fodere*. Hinc *remigare* qvasi fodere mare labore molestissimo & fossoribus proprio. Kimchi tamen, שרש *col. 180.* capit de ejectione anchoræ, qva fundum maris peterent. Sc. sententiam Jonæ, qvam de se tulerat, censent nimis duram, & fortè ipsum, sui vix compotem, sibimet injurium esse. Qvævis igitur tentanda putant, si fieri qveat, ne exeqvantur: itaqve omni nisu laborant, ut, si iter pergere neqveant, saltim navim ad litus reducant, qvo sic sibi ipsiqve consulant, vel saltim Jonam expositum Divinæ Nemesi relinqvant. Sed in cassum omnia. Obstabat Dominus.

v. XIV.

Et invocarunt Dominum dicentes: Eja Domine ne pereamus ob animam viri hujus, neq; imputes nobis sanguinem innoxium; nam tu es Dominus, qvod vis, facis.

(ויקראו אל-יי) Cum viderent omnia frustra tentari, saltim sententiæ asperitatem à se precibus fusis, non, ut antè, à qvoq; ad suam, sed ab omnibus ad unum, declinare contendunt, & ne sibi mors Jonæ, abs se mergendi, rei effectu ipsorum, quos qvippe non læserat, insontis imputetur, ceu homicidium. Cumq; credant rem totam ita à Deo ipso dispositam, protestantur, sibi, vel invitis, faciendum, quod velit Deus, cujus consilia non rimentur, sed venerentur supplices.

(בנפש)

בנפש) Radix in *Kal* non superat. At נפש Arabibus est *recreavit* & cogn נשף Ebr. *sufflavit*. Respiratio est signum præsentis animæ & ejus qvædam qvasi recreatio. Observant autem, inter alia נפש notare *personam Gen. 12.5. c. 17.14. Exod. 12.15. Levit. 2.1. Num. 23.10. Deuter. 24.7. Judic. 16.30.* Ita & h.l. sensum esse posse: *propter personam hujus viri.* Sic Belgæ. At num potius: *ob animam* i.e. vitam sc. adimendam? Jonathan: *ob debitum s. culpam animæ hujus viri.* Drusius: *una cum anima hujus viri.*

נתן(תתן Latissimè est *ponere*; h.l. vi phraseos *imputare.*

דם) Propriè *sangvis.* Deinde *cædes*, qvæ fit effusione sangvinis. Deniqve impropriè accipitur pro occisione incruenta, qvia ibi sangvis non minus privatur animâ, cujus vehiculum quoddam est.

v. XV.

Et tulerunt Jonam & projecerunt eum in mare tunc stetit mare ab indignatione sua.

וישאו) Exeqvuntur tandem consilium, Jonamqve sublatum in mare projiciunt, nec tamen nolentem invadunt, violenter, sed offerentem se manusqve præbentem cum timore & reverentia demittunt. R. Simeon *in Pirke Eliez. c. 10.* putat, eos gradatim processisse, & cum Jonam primum ad talos, iterum ad genua, rursus ad umbilicum, postmodum ad cervicem demisissent, subinde retraxisse, sed cum viderent, mare, Jona merso, qviescere, retracto, ad pristinos redire motus, re desperatâ tandem totum demersisse. Probabile id visum Corn. à Lap. ob miram nautarum sollicitudinem. At planè incertum est, nec satis ab Abravanele è voce וישאו probatur.

ויעמד) Merso Jona mare stat, quasi Marpesia cautes, & sequitur magna tranqvillitas. Ebræi, Chrysost. & Hieronym. eô utuntur simili: Ac si servus fidelis videat fugere mancipium,

pium, inseqvitur, donec teneat, quo facto desinit currere, & detinet illum qvietus, qvem persecutus erat.

מזעפו) Verbum זעף signif. *vehementer indignatus* est, velut adversarium eo loco, qvo reperiat, peremturus, ut infert Arabismus. Metaph. indigitatur vehementissimus motus, strepitus & tumultus maris, qvasi omnes è vestigio suffocaturi. Hinc enim tam subitò placatur, gratior qvies erat.

v. XVI.

Et timuerunt homines timore magnô Dominum; & sacrificârunt sacrificia Domino & voverunt vota.

ויראו) Timor servilis Piscatori & Coccejo videtur. At rectè Hieron. Lyranus, Montanus, Vatablus, Corn. à Lapide, B. Lutherus, Pomeranus, Tarnovius, Oecolamp. Mercerus aliisqve h. l. sentiunt, eos veram pœnitentiam egisse & conversos esse ad Deum Jonæ, qvem solum esse verum videbant, (*Conf. Matth. 8. v. 27.*) & à Jona audierant. Illustre conversionis gentilium in V. T. exemplum.

ויזבחו זבח) Qvalia & ubi ipsi placere, à Jona informati erant.

וידרו נדרים) Vota, tùm in navi de fide, se postea eum Deum pro suo agnituros & peregrinaturos Hierosolymam, qvo religionis solennia suscipiant: tum reduces alia, e.c. de donariis ad templum, eleemosynis &c.

v. XVII.

Et suborna vit Dominus piscem magnum ad absorbendum Jonam: & fuit Jonas in visceribus piscis tribus diebus & tribus noctibus.

וימן) in Kal verbum notat *numerare supputare:* In Piel deinde *destinare, deputare, parare* qvasi numeratum & accuratè subductum. LXX. & Arabs non satis ad textum: *Præcepit.* Sc. vix navi exierat Jonas, anteqvam mare contingat, præsto est piscis grandis, qvem Deus occultè moverat, ut adnataret ad navem, Jonæ & carcer & custos futurus. Creatum esse

intra ἑξαήμερον, & huc destinatum R. Tarphonis ap. Eliesarem fabula est.

בלעו לבלע non est vorare & masticare, sed deglutire qvippiam seu demittere in seipsum integrum atqve totum. Non itaque piscis ille Jonam devorat, vel masticat, sed faucibus exceptum, illæsum & integrum intra ventrem condit & detinet ad diem tertium.

במעי) Vox in specie sign. intestina ob *curvitatem* & flexus varios, si spectemus cognat. עור: tamen in genere notat omnia viscera imi ventris.

שלשה ימים) Voces יום & לוה radices suas verbales hodie in Ebraismo non habent. Illam cum Steucho Marsennus *in Gen. 1.* deducit ex הום *strepere*, qvod die cuncta perstrepant: Verùm analogia poscit radicem יום, qvæ hodieq; apud Arabes est *Diurnavit*, ut notetur spatium temporis diurnis occupationibus destinatum. Hanc Marsennus à לאה *defatigari*; Forsterus à ילל ob *ululatus* nocturnarum bestiarum deducit: Sed analogia postulat rad. לוה qvam olim significasse *Pernoctare* seu nocturnæ qvieti se dedere, patet 1. è rad. cogn. לון 2. ex Arab. לאה IV. אלאה 3. è nomine לוה *testudo*. Cæterùm qvod tribus diebus & noctibus in piscis ventre latet Jonas, in eo luculentissimus typus Christi deprehenditur. *Matth. 12. v. 39. 40.* Conf. *c. 16. 4. Luc. 11. v. 39. 40.* Qvod qvidam censent, ternum νυχθήμερον Jonæ incompletum fuisse ad congruentiam Antitypi, in medio relinqvimus. Convenientiam typi cum antitypo evolvere nostri instituti non est. Sensum literalem exponimus, & qvid Spiritus S. per verba intendat, non qvid per actionem ipsam, qvod in N.T. revelavit. Conf. hîc Magn. D. D. Calovius, Patronus, Compater & Affinis noster venerandus, *Proleg. comm. in Gen. p. 95.* Pflacherus breviter in hunc sensum typum ad antitypum applicat, & notat convenientiam I. Rerum circa utrumqve gestarum, qvæ sunt 1. Terrores. 2. examen coram judice, 3. Co-

3. Conatus conservandi reum. 4. Sortitio. 5. Aliorum conversio. II. Modi, voluntariè uterq; passus est, ut alii salvarentur. III. Causæ, Definitô Dei consiliô ad optimum finem. IV. Effectûs mortis, uterq; est piaculum, & iram Dei susceptâ morte sedat, naufragos servat. V. Sepulturæ, Jonæ in ventre piscis, Christi in ventre terræ. VI. Resurrectionis die tertio &c. Plura dabunt Interpretes Christiani *h.l.*

QVÆSTIO I.

Num Jonas fuerit ἀυτόχειρ?

Jonas velut desperans & ne obediret Deo iretq; Niniven, se ipsum morti expositisse videtur Abravaneli *f. 258. c. 2.* Sed falsò. Se ipsum non præcipitabat, sed projici a nautis sinebat, cùm Spiritu Domini compunctus sciret, tempestatem, se remotô, cessaturam, nec vellet sui causâ perire omnes. V. B. Lutherus *h.l.*

QVÆSTIO II.

Qvando & ubi nautæ sacrificârint?

In navi id fieri vix poterat, quamvis id difficile haud videatur Riberæ & Coccejo: Hieronymus, Remigius, Hugo &c. hostias spirituales laudis intelligunt. Chaldæus vertit: *Dixerunt, se sacrificaturos*, qvam versionem probant Aben Esra, Kimchi, Ben Melech, & cum ipsis Mercerus, Castrus, Tarnovius *h.l.* Glassius *Philol. S. p. 571.* Drusius conjicit, sensum esse posse: *Voverunt vota, se sacrificaturos*, per Hendiadyn. Ita & Abravanel וידרו נדרים לזבוח זבח. Longius petitum videtur, qvod Elieser *cap. 10.* per Sacrificia intelligit sangvinem circumcisionis, qvâ de re Conf. Hulsius *Theol. Judaic. P. 1. pag. 34.* Nos censemq esse ὕστερον πρότερον S. Scripturæ non infreqvens, ut sensus sit: *Et voverunt vota* religiosa, & post reduces, seu cum urbem sanctam ibiq; Templum ceu ordinarium sacrificiorum locum, contigissent, *sacrificarunt.* Imò peractis sacrificiis nil obstat, qvò minùs nova vota voverent. Qvò si

hîc respiciatur, nihil restat dubii. Conf. Magn. Dn. D. Calovius *in Antigrotianis h. l.*

QVÆSTIO III.

Qvalis fuerit piscis qvi Jonam deglutiit?

Rectè Sa: Cujusmodi piscis fuerit, incertum est, S. Scriptura solùm dicit, qvod fuerit magnus. Cùm *Matth. 12. v. 40.* κῆτος dicatur, hinc balænam fuisse vulgò censent, qvod negant & refellunt Rondelitius *l. 13. de piscibus c. 12.* Ulysses Aldrovandus *l. 3. de piscibus c. 32* Pineda *de rebus Salomonis l. 4. c. 12.* Sam. Bochartus *in Hierozoico Part. post. l. 5. c. 12. col. 743.* G. Horn. *ad Sulp. Sev. p. 331.* Castrus, Ribera, C. à Lapide & Drusius *h. l.* eô qvod balæna arctiori sit gutture & ventriculo, nec facilè hominem integrum & illæsum deglutire & continere qveat. Sic & Scaliger *ad Card. p. 390.* ait, nec molem vorare grandiorem licere illi propter gulæ anguſtias, cujus aditus vix semipedem pateat. Itaqve malunt fuisse eum piscem, qvi *Carcharias* & *Canis*, atqve Nicandro & Italis *Lamia*, Norvvegis Perckfisch/Anglis Doggefisch dicitur, qvi patentissimo rictu & gulâ ingenti sit, ut & hominem obesum commodè capere qveat. Qvod cetus dicatur, id non obstare ajunt, cùm id nomen qvemvis piscem magnum notet, sive sit balæna, sive pristis, orca, phoca. Cæterùm hæ rationes ap. nos nondum obtinent, qvò minus balænam fuisse credamus. Dantur balænæ ejus magnitudinis, ut montes credas, non animantia; qui hominem non capiant? Et cum κῆτος expresè dicatur, id nobis sufficit. Nulla causa est discedendi à significatu vocis famosiori. Qui Jonam in ventre conservare potuit, potuit & in eum ducere Conf. B. Wolfg. Franzius *Hist. Anim Tr. 3. c. 2. de cetis p. 616.*

QVÆSTIO IV.

Num Jonas è vestigio absorptus sit?

Notatur à Ribera qvidam *Paulus Palatinus*, qui putarit, Jonæ per tempus benè longum natandum & ad voragines descendendum

dendum fuisse, quod è precibus Jonæ probare voluerit. Scriptura de iis tacet, & nil aliud commemorat de Jona, postquam ejectus esset, quàm absorptum esse. E precibus nil tale sequi, infrà patebit.

QVÆSTIO V.

An Jonas bis absorptus sit?

Raschi somniat, Jonam bis deglutitum esse, semel à pisce masculo, ubi laxiorem repererit locum, nec ad preces adigi potuerit: itaq; à masculo in os fœmellæ ejectum, & illic demum in ventre ejus fœtibus distentô ad preces adactum esse, id quod exsculpsit è discrepantia generis דג & דגה *hic & c. 2. v. 1.* Sed 1. Nomina animalium sub utroq; genere Epicœna esse rectè notat Aben Esra. 2. Statim subjicitur, Jonam in ventre piscis, qui eum deglutierat, pertriduum fuisse. 3. Sequeretur sic, eum tertiô etiam absorptum, & ex fœmella iterum in masculum transmissum esse *c. 2 v. 10.*

QVÆSTIO VI.

Quomodo Jonas vivere potuerit in ventre piscis?

C. à Lap. exaggerat miraculum, 1. quod calidissimus venter piscis Jonam non consumserit, & converterit in chylum. 2. Quod Jonas aerem frigidum attrahere & vivere potuerit. 3. Quod pessimô odore non fuerit enecatus. 4. Quod mentis compos pium carmen cecinerit. Nos cum eo miramur ea omnia, & plura alia, sed majus miraculum fit, quotidie, & negligitur. Embryo per aliquot menses in utero materno inter feces sine ullo cibo & potu, sine egestione & respiratione vivit & succrescit. Hoc miraculum quotidianô usu vilescit: at recte hîc exaggerant Theophylactus & Abravanel.

CAPUT II.

Continet 1. Jonæ orationem *v. 1. ad 9* 2. Jonæ liberationem *v. 10.* Orationis Jonæ dispositionem privatæ cujusvis industriæ relinquimus.

PARS I.

DE JONA ORANTE.

Vers. 1.

Et oravit Jonas ad Dominum Deum suum, è visceribus piscis.

ויתפלל) Ex פלל: Propriè notat causam suam ad Deum cognoscendam deferre. Ad eum Jonas in illis angustiis supplex confugit, à solio Justitiæ appellans ad thronum gratiæ, & in ventre piscis, qvas clarâ voce non poterat, verbis suppressis & gemitibus fundit preces. Contextæ ferè videntur è Psalmis. Conf. v. 2. cum *Ps. 118. 5. & 130. 1.* V. 3. cum *Ps. 42. 8. v. 4. cum Ps. 31. 23. & 27. 4. V. 5. cum Ps. 69. 2. s. V. 6.* cum *Ps. 103. 4. & 116. 8. V. 7.* cum *Ps. 61. 3. & 77. 4. & 102. 2. V. 8.* cum *Ps. 31. 7. V. 9.* cum *Ps. 116. 12. 13. 14. & Ps. 3. 10. &c.* Eas nunc dilucidè per parentheses exponemus, emphases vocum & disputata seorsim exhibentes.

v. II.

Et dixit: Clamavi (hucusq; corde magis, qvàm ore *V. Ex. 14. 15.*) *ex angustia meâ ad Dominum, & respondit mihi* (cum intùs Spiritu suo me certiorem fecit, mea vota rata fore, qvin jam nunc gratiam ejus & liberationis initium sentio, qvod illæsus à mari & pisce, corpore animoqve integer, hîc vivo, ubi aliàs nec per horam durarem) *E ventre* (imo vel intimo, κατ' αἰαλογίαν) *inferni* (loci hujus, qvi sqvalidus, tenebrosus, horridus instar inferni) *vociferatus sum, & audivisti* (cum Κύριε, Tu, ô Domine, præter qvem nemo me clamantem audire potuisset) *vocem meam.*

מצרה לי) Ellipsis אשר. Est צרר imminens undiqve discrimen, ceu in diuturna *obsidione* v. *Ps. 3. 2.*

שאול) Alii: *Sepulcri* i. e. loci, ubi naturaliter immineret corruptio, ut cadaveribus in sepulcro, à qva me servas. Conferunt

ſerunt Antitypum *Matth.12 40.* & שחת *v. 6.* שאול utrumqve admittit ; à *petendo* ſ. inſatiabili habendi appetitu utriusqve *V. Eſ. 5.14. Hab. 2. 5. Prov. 27. 20. c. 30. 16.* Noſtrum tamen *Inferni* ad præcedens מצרה ἐμφατικώτερον videtur. Nugas agit Abravanel, dum *f. 258. 3.* hoc capit de Jona puero, ab Elia (ceu putat) ſuſcitato.

שועתי) Eo intenſius, qvò quis *ſalutis* (conf. cogn. ישע) appetentior.

שמעת) Apoſtroph. V. & Glaſſ. *phil. p. 1147. 1439.*

קולי) R. Arab. קאל *dixit.* Conv. Gr. καλέω.

v. III.

Nam (hinc clamor meus) *projeciſti me* (per nautas, qvi non potuiſſent, niſi tu voluiſſes) *in profundum, in cor marium* (mare medium) *& fluvius* (vortex à balæna me invadente motus) *circumdedit me* (à piſce exceptum) *omnes fluctus tui & undæ tuæ ſuper me tranſeunt* (ut piſce mecum per quosvis fluctus graſſante meritò uſurpare qveam illud Davidis *Pſ. 41. 8.*)

ותשליכני) Coccejus *in Tertia: Jactabat me profundum.* Verùm השליך eſt *injicere* ſ. *projicere aliquo.* Qui verò eſt in מצולה, ſatis in mari eſt, nec opus, ut illuc projiciatur.

בלבב) *Cor* medium in corpore. Hinc לב ſumitur pro medietate rei, non mathematicè, ſed Phyſicè. *V. Ex. 15. 8. Pſ. 46. 3. Prov. 30. 18. Ez. 27. 3. Deut. 4. 11.* Sic & καρδία *Matth. 12. 40.*

ונהר) *Mercero* eſt mare per μείωσιν. Sed unde hæc μείωσις? qvaſi Jonas pericula extenuet! *Coccejo* ῥεῦμα maris ſ. ab æſtu ſ. à fluviis ſe exonerantibus. *Marianæ* Euripi. *Aben Eſræ* cumqve eo *Abravaneli* & *Sal. ben Melech*, locus confluxûs maris & fluvii, qvò Jonas delatus ſit. *Tarnovio* inter alia vorago & matrix aqvarum, unde fluvii in meatus terræ latenter deſtillant *Eccl. 1. 7. Caſtro* aqva ceto ſe immergente & emergente inſtar fluvii

fluvii resonans, Jona audiente. Aliis aliud. Putamus respici ad vortices à ceto concitatos. Nam aqvam ore exceptam balenæ instar fluvii vel charybdis cujusdam eructant, ut inde navibus periculum. Conf. Aldrovandus *de cetis l.1.c.2.* Istis vorticibus cinctus & procul dubio cum aqva plurima à pisce ingurgitata Jonas in ventrem transmittebatur.

כלי) nolim: *Multi*, ut placet B. Tarnovio *p.58 59.* Qvum affligimur, tota DEI ira in nos solos sævire videtur, qvali nemo alibi gentium in afflictione sit.

משבריך) à *frangendo*, quod & inter se collidantur, & naves ad scopulos frangant.

גליך) à *volvendo*. Una volvit alteram.

v. IV.

Et ego (ex sensu carnis, in tali rerum facie, incidens in tentationes spirituales) *dicebam* (initio apud me) *abjectus sum* (ô Deus) *ab oculis tuis* (providentia & cura paterna *Ps.33.18. & 34.16.*) *verùntamen* (intus spirituo confirmatus fide cogitationes illas superavi, jam certâ spe fretus, quod) *ulteriùs intuebor templum sanctum tuum* (in Ecclesia te palàm culturus & prædicaturus.)

אמרתי) sc. בלבי. Cogitabam. Conf. *Ps. 31.23.*

אך) *Adversativè* & *assertivè* vertunt Chald. LXX. VV. Pagn. Jun. Tigur. Hisp. Ital. Gall. Angl. Belg. nov. &c. *Interrogativè* & *dubitativè* non modò B. Lutherus, sed ante eum Syrus: *Num posthac rursus videbo?* & Arabs: *An fieri potest, ut iterum videam?* sensu percommodo, si אך admitteret. Neqve tamen damus Mercero semper *asseverantis* esse, vel B. Tarnovio p. 63. nullibi *qværere*. Qværit *Ps.73.13.* אך *Ergone? Siccine?* Dubitativè, juxta Kimchium ponitur Ps.139.11. אך *Fortassè saltem*. Num tale qvid huc qvadret, eruditi judicent.

אוסיף) *Addam aspicere* i. e. rursus vel amplius adspiciam. V. Glassius *Phil. p.626.*

להביט

להכיט) avidè & cum intentione. Conf. nomen מבט.

היכל) Ar. הֵיכְלָא *magnus fuit*, unde היכל qvævis *magnifica* ſtructura ſ. templum ſ. baſilica.

v. V.

Circuivere me (qvidem hucusq;) *aqvæ* (& cum mergerer & hîc in piſce aqvas ſubinde ſorbente) *ad animam* (quaſi ſpiritum mox intercluſuræ *Pſalm.* 69. 2. 3.) *abyſſus* (vorago maris quò me piſcis raptat) *circumvallavit me* (in moleſto meo carcere degentem) *alga* (à piſce deglutita) *alligata eſt* (implicita cum aliis ſordibus) *capiti meo.*

תהום) R. Arab. תהם *attonitus fuit.* Adeoq; תהום eſt vorago *ſtupenda*, ad qvam *attoniti* ſtaremus.

סוף) Eſt *Juncus*, *Alga*, à סוף) quod creſcat ferè in *extremitate* maris fluminisve. Conf. Kimchi & Ben Melech *h. l.* Chaldæus vertit *Mare* סוף ſ. *rubrum.* Sic R. Meir *in Pirke Elieeſer c. 10.* & Raſchi *h. l.* fingunt, Deum oſtendiſſe Jonæ à piſce ad mare rubrum ducto locum, ubi tranſierint Iſraelitæ. Vidiſſe autem Jonam per oculos piſcis ceu feneſtras. Qui nugas plures vult, adeat Elieſerem. De mari rubro non credimus. Rectè Corn. à Lap. *Sic cetus ſpatio tridui debuiſſet tranare totum mare mediterraneum, à Joppe ad Gades, inde circuire totam Africam, inde promontorium bonæ ſpei, inde Mozambiqven, Qviloam, Melindem, Zocotoram ac tandem tendere Adenum, ubi incipit ſinus Arabicus ſive mare rubrum, quod eſt iter dimidii anni & amplius.* Pineda qvidem *l. 4. de rebus Sal. c. 12.* oggerit, Carcharias eſſe velocismos. At tàm veloces eſſe, non fit probabile. Nec erat Carcharias, ſed balæna. Hujus autem motus tardus, ut ait Aldrovandus *l. 1. de cetis c. 1.* Vulgatus vertit in genere *Pelagus*, at inconcinnè.

לראשי) Rimchi, Ben Melech & Abravanel: *Capiti* piſcis, qui eum glutierat. Ejus caput cenſeri Jonæ caput. Alienè.

Nec in Capite Jonas latebat, sed in ventre. Coccejo est παρεμπιπτόντες, non magis qveo emergere, ac si illigatus essem. At qvid obstat, in ventre piscis algam revera capiti Jonæ implicari? Frantzius: *O te miserum Jonam, qvi in tam densum profundum, firmum, spurium carcerem propter peccata tua descendere meruisti; qvid cogitasti, qvando interdum algâ, spumis, aqvâ salsâ & aliqvot tonnis halecum, percarum & aliorum piscium undiq; fuisti obrutus?*

v. VI.

Ad præcisiones (præfractas & abruptas radices, ubi fissuræ & cavernæ) *montium* (promontoriorum & scopulorum) *descendi* (pisce in fundum penetrante mecum) *terrag; vectibus illis suis*) *Job.3.8. v.4 10.* cautibus & scopulis, ceu repagulis & obicibus) *circame* (videbatur obstitura & prohibitura) *in seculum* (ne eluctarer vel enatarem) *At tamen eduxisti è corruptione* (loco, ubi mors præsentissima impendebat, & ego qvasi vivus sepultus eram) *vitam meam* (vivum me hucusqve conservasti, & porrò conservabis atqve educes ex hoc ergastulo, qvam spem adeò firmiter Spiritu tuo obsignasti, ac si jam evasissem) *ô Deus mi* (Abba *Rom. 8. 15. Gal.46.*

קצבי, radices, ubi montes qvasi *præcisi*. Loca ista profundiora esse solent: qvalia balænæ petunt.

בריחיה) Vectes à ברח, qvod coerceant *fugitivos*. Q.d. Terra mihi qvasi pessulis occlusa, nec ulla spes reditus ad eam apparebat. Æthiops מלחק *Malchyk* Anchoram substituit: expressurus τὸ τῶν ὁ κατόχοι. Cœterum הארץ absolutè ponitur. Sensus: *Qvod ad terram, illius v. Ctes* &c. Conf. L. de Dieu *h.l.*

לעולם) ab *occulendo*. Notat tum æternitatem, tum tempus ita longum, ut sua diuturnitate rem ejusq; memoriam *occulat*.

Cum

v. VII.

Cum (tot curis) *obrueretur in me anima mea* (perplexa & qvo se vertat nescia & jamjam deliqvium passura *Ps. 61. 3. & 77. 4*) *Domini recordatus sum* (*Ps. 20. 8.* confugiens ad gratiosas ejus promissiones *Ps. 27. 8. Ps. 50. 15. Ps. 91. 14. 15. &c.*) *Et* (non evanuit in auras nec in ventre piscis suppressa est, sed) *pervenit ad te* (ò Deus) *oratio mea* (*Psalm. 102. 2. Syr. 35. 21.*) *ad templum sanctum tuum* (ad ipsum cœlum & gloriæ tuæ thronum *Ps. 11. 4. 2. Chron. 30. 26.* nec minùs in ventre piscis gemens exauditus sum, ac si in ipso templo Salomonis preces fudissem.

בהתעטף) Syro placuit notio *Exagitandi*: Chaldæo, Arabi &c. *deficiendi*. Sal. ben Melech *convolvendi*, qvi putat alludi ad mores precantium, qvi se qvasi totos convolvant præ humilitate & devotione. Est propriè *obruere & confundere semetipsum*.

אל היכל) Orantes in V. T. Templum Hierosolymitanum respiciebant, ubicunq; essent, ut *Dan. 6. 11.* sibi in animum revocantes dicta *1. Reg. 8. v. 20. ad 50.* Inde modus hic loqvendi desumtus est. Non tamen ultimò templum respicitur, ut vult Mercerus, sed cœlum.

v. VIII.

Observantes (mordicus) *vanitates mendacii* (homines vani, hypocritæ) *gratiam suam* (sibi à Deo præstitam) *derelinqvunt* (negligunt, neqve ipsi ideò debitas gratias agunt.)

הבלי־שוא) Combinatio Synonymorum infert Emphasin & ἄυξησιν. Q. d. *Vanissima*. V. Glassius *Phil. p. 461.* Errant, qvi ap. C. à Lap. הבלי legunt *funesq;* exponunt.

חסדם) Variè explicant. In *Pirke Eliesер c. 10.* de nautis h. m. Qvi observârant vanitates, חסדם *probrum suum* (*Lev. 20. 17.*) deserunt & proselyti fiunt. Vid. Hulsius *Theol. J. P. 1. p. 34.*

Alii ap. Abravan. de iisdem h. m. obſervantes vanitatem, *benignitatem* ſuam & vota in navi facta, ubi terram contigerint, deſerent. Ita Joſ. Kimchi, teſte Filio, & Ben Melech. Ipſe Abravanal *f.258.4.* de Ninevitis capit h.m. *Benignitatem* i.e.pœnitentiam, qvam agent ad meam concionem, citò relinqvent & relabentur ad priſtina. Alii generaliter: Obſervantes vanitatem, *Benignitatem* i.e.Metonym. Deum benignum *Jer.12.13.* relinqvunt. Aliis חסד eſt *gratitudo*, qvò referunt *Hoſ.6.4.* q. d. non agunt gratias pro acceptis. L. de Dieu inter alia: *Miſericordiam eorum* linqvent i.e.nemo eorum miſeribitur. Junius: *benignitatem* amittunt ſ.ejus aditum ſibi ipſis intercludunt. Plana eſt ſententia, qvam dedimus, nec qvicqvam videmus, qvod eam premat.

v. IX.

Sed ego (aliter affectus, qvàm tales) *voce gratiarum actionis litabo tibi* (*Pſalm 50.14 Ebr.13.15.16.Rom.12.1.*) *& qvæ* (hic privatim in ventre ceti) *vovi* (puta, vota imprimis ſpiritualia primæ tabulæ, dehinc & externa aliqva) *præſtabo* (ſanctè ſervabo per omnem vitam, & exeqvar Hieroſolymas reverſus publicè in media Eccleſia *Pſ.116.19.*) *Omnis* (enim) *ſalus* (animæ & corporis) *Domini eſt* (ab eo ſolo, nec aliunde, exſpectanda.)

תורה) Propriè *Confeſſio*. Pro ſubſtrata materia, *publica prædicatio* accepti beneficii *Pſ.6.6.& 7.18 & 9.1.& 43.4.& 106.1.*

אשלמה) Alludere videtur ad שלם *Sacrificium Euchariſticum*, pro pace & incolumitate accepta Deo offerri ſolitum *Amos.5.22.* Votum Abravanel reſtringit ad executionem prophetiæ ad Ninevitas. Procul dubio Jonas voverat DEO obedientiam in hoc & in omnibus. Non reſtringenda, qvæ SS. reſtricta non voluit.

ישועתה) i.e. *Omnimoda ſalus*. ה inſititium auget ſignificationem. V. Glaſius *Phil.p.418.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

Qvando Jonas hanc precationem dixerit?

B. Pomeranus, Junius, Piscator, Belgæ & alii h. l. censent Jonam preces illas dixisse, cum ipsum piscis exspuisset: *Tarnovius & Mercerus* ajunt, eum in ventre ceti cogitasse, qvæ terræ redditus in formulam redegit & prolocutus est. *Snepsius* censet contineri hîc & gemitus, quos in ventre belluæ, & gratiarum actionem, qvam post liberationem ediderit. Ita & B. Waltherus *Harm. Bibl. p. 725.* Sed melius *Aben Esra, Kimchi, Abravanel, S. Hieronymus, Oecolamp. Castrus, Ribera, Corn. à Lap.* & alii statuunt, preces has in ipso ventre piscis à Jona conceptas, & utcunq; gemitibus & suppressâ voce prolatas esse, cum Jonas divino afflatu sentiret certusq; esset, se Deo curæ esse & liberatum iri. Expressa nimis verba textus: *Oravit è visceribus piscis & dixit.* Qvid ergò hæsitamus? Rectè Nyssenus *in Orat. Dom. Oratio Jonæ cetum domum effecit, ut in ventre ceti commodè qvasi in domo degeret & oraret.* Nec obstat, qvod loqvatur in Præterito: ne enim dicamus cum Aben Esra, Præteritum poni pro Futuro vel Præsenti, neve Abravanelis adspersas φλυαρίας probemus, nil absurdi videmus, qvo minus omnia in præterito posita in præterito exponantur. Nam orabat Jonas, non qvam primum ventrum piscis contigisset, sed postqvam in eo multas molestias & demum DEI auxilium intra belluæ viscera sensisset.

QVÆSTIO II.

Num oratio Jonæ sit metrica?

Ita sentit Ebertus *Poetic. Ebr. p. 53.* Imò Arias Montanus determinavit carmen Jonæ *Lyricum tricolon terrastrophon* simile Horatiano *lib. I. Od. 36. Et thure & fidibus juvat &c.* Ast nec in Jona nec in cœtera SSa. V. T. extare metrum in rigore, ostendimus *Diss. de Poesi Ebræorum.*

PARS II.

DE JONA LIBERATO.

V. X.

Et indixit Dominus pisci, & evomuit Jonam in aridam.

ויאמר) h. l. non incommodè: *Jussit.* Id significatum Arabico אמר perpetuum. Jussit autem efficaciter movendo atq; excitando appetitum ejus (Conf. Kimchi *h. l.* & Maimonides *Mor. Nev. p. 338.*) forte & ipsi nauseam creans (est enim הקיא fastidiente stomacho ejicere) simulq; cogens, ut contra solenle, & qvàm conveniret tantæ moli, littus extremum subiret, & in aridam Jonam illæsum removeret.

QVÆSTIO.

Ubi piscis Jonam evomuerit, & qvantum iter cum eo sit emensus?

Sulpitius ait, cetum vomuisse Jonam ad littora Ninives. Ast Ninive à mari procul aberat, ad ripas Tigris sita. Joseph. *l. 9. Antiq. c. 11.* & cum eo Clarius *h. l.* Sigonius *ad Sulpit.* Bunting. *itiner. S. Scr. p. 188.* volunt, Jonam ejectum ad Pontum Euxinum. At nimis anfractuosum erat illud iter. Debuisset corpulenta bellua tranare totum mare mediterraneum, inde Cyclades, hinc Archipelagum, inde Propontidem, hinc Bosphorum Thracium, & sic demum ingredi Pontum Euxinum. At Balænæ tardus motus. Ait quidem Buntingius: Daraus denn folget/ daß er alle Stunden in die vier Meilen fortgeschossen sey/ welches denn solchem grossen Fische / den die Gewalt Gottes treibet/ nicht unmüglich gewesen. At qvid opus ponere novum miraculum, cujus nullum in S. Scriptura fundamentum? Multò minùs concedimus Pinedæ, in mari rubro terræ redditum. Drusio placent littora sinûs Isfici. S. Scriptura tacet. Qvid tamen vetat dicere ejectum ad littora Palæstinæ juxta Joppen,

Joppen, indeqve terrestri itinere rediisse in Judæam, & Hierosolymas reversum esse? Spatium itaqve marini itineris in pisce determinari non potest. Probabile est, beluam per triduum, hinc inde vagatam, tandem Deo cogente Jonam non procul à portu Joppensi exposuisse. Adeoqve emensum esse piscem 965. parasangas gratis *Eliezer* apud Abravanalem asserit. Conf. CL. Mart. Lipenii, amici nostri honorandi, *Diaplus Thalassius Jonæ c. 3.*

CAPUT III.

Duo Capita sequentia agunt de vocatione altera Jonæ, cui paruit. Hoc IV. partes habet I. *de vocatione Jonæ secunda v. 1, 2* II. *de Jonæ obedientia v. 3, 4.* III. *de Ninivitarum pœnitentia v. 5. ad 9.* IV. *de DEI indulgentia v. 10.*

PARS I.

DE VOCATIONE JONÆ ALTERA.

v. I.

Et fuit Verbum Domini ad Jonam secundò, dicendo.

שנית (שנה propriè *itevavit*, שנית *iterum*, *alterâ vice*. Minùs accuratè Talmudici, qvos laudat Abravanel *f. 259. 1.* hinc concludunt; Jonam postea non prophetâsse, cùm nuspiam dicatur, verbum Domini ad ipsum factum *tertio*, qvasi positio vicis secundæ sit exclusio tertiæ.

v. II.

Surge, vade ad Niniven urbem illam magnam, & prædica contra eam prædicationem, qvam ego dico tibi.

קרא) *Prædica prædicationem.* Emphasis major, cum verbum regit nomen conjugatum. Vid. Buxtorf. *Thesaur. l. 2. c. 12 r. 6.* Sc. Jonas, nisi secundâ vice à DEO monitus, dubitare potuisset, num sibi nunc Niniven eundum sit, postqvam semel oblatam vocationem recusâsset. Ideò redit Hierosolymas, & præstat in templo vota, à se nuncupata, preces puta, victi-

ta, victimas, Eleemosynas &c. exspectatq; , quid porrò faciendum sibi à DEO injungatur. Sic denuò accipit vocationem ad Niniven. Ita discipuli Christi, cum vocatione sua qvodammodo excidissent, solenniter restituuntur *Joh. 20. v. 22, 23. c. 21. v. 15.*

QVÆSTIO.

Qvænam fuerit prophetia Jonæ?

Dicit DEUS ad Jonam: *Prædica prædicationem, qvam dico tibi*, & non seqvitur, qvid dixerit; Tamen è collatione *c. 1. v. 2.* & *c. 3. v. 5.* patet, mandatum in hunc sensum conceptum fuisse: *Prædica contra eam, qvod adscenderit malitia eorum coram me, & qvod adeò post XL. dies Ninive sit evertenda.*

PARS II.

DE JONÆ OBEDIENTIA.

v. III.

Et surrexit Jonas & ivit Niniven juxta verbum Domini: & Ninive erat urbs magna DEO, itineris tridui.

כדבר) Cùm Jonæ secundâ vice offertur legatio, non consultat iterum cum carne *Gal. 1. v. 16.* nec fugit, sed promtè paret, & Hierosolymis per Mesopotamiam, ut credibile est, tendit Niniven.

עיר גדולה לאלהים) De magnitudine Ninives Fullerus *l. 3. c. 6.* agit, & nos qvædam infrà dabimus. At cur *magna DEO* dicitur? Aben Esra *ad c. 1. v. 2.* infert hinc, Ninivitas fuisse olim veri Dei timentes, at tempore Jonæ desciviſſe, ideò revocatos. Ribera & Mariana לאלהים exponunt *judicio ipsius DEI*, i. e. verè *magna*. Pleriqve ajunt Ebraismum esse, quod nomina divina aliis juncta *Superlativum* seu quodvis excellentissimum, summum & maximum in suo genere notent, cum nil in Deo nisi eximium sit. Ita nos: *ingenium divinum*, pro excellenti

excellenti. Conf. Kimchi *ad 1. Sam. 26. & hic*, Abravanel, Ben Melech, Drusius, Junius, Mercerus, Coccejus, Belgæ & B. Tarnovius *h. l.* Buxtorf. *Thesaur. l. 2. c. 3. r. 1. p. 361.* Sixt. Amama *Reg. Tex. p. 89.* & Bibelsch. *Conser. h. l.* Joh. Vorstius *Philol. S. p. 388.* Casp. Wysius *Dialectol. p. 310.* Fesselius *Adverss. l. 1. p. 45.* Dn. Wasmuth *Gramm. Ebr. p. 67.* & Altingius *Fundam. Punctat. p. 42.* Ista sententia displicuit B. Luthero *in Gen. c. 30. f. 453.* *Quasi verò*, ait, *Ninive non sit etiam civitas Dei in præputio, sed soli circumcisi sint populus Dei.* *Omnia hæc*, pergit, *manant ex superbia & arrogantia Judæorum, qvi nihil ferunt dici magnificum, nisi quod ad ipsos pertinet.* Et in *c. 13. f. 172. Ninive, inqviunt, non potest dici Dei civitas, qvasi Deus ibi habitet, sicut apud nos in Jerusalem: alia hujus appellationis ratio est, quod magna & Augusta sit civitas. Sed vana hæc expositio est: Scimus enim, Deum etiam gentilium Deum esse, etiam temporaliter. Ninive igitur civitas Dei dicitur, quod ei incrementa & benedictionem suam dedit, & cunct. ac gubernat eam.* Post pauca: *Sanè non exigua consolatio est, quod imperia constituit, servat & tuetur Deus, nec illa, ut plerumq; putamus, vel crescunt vel cadunt temerè.* Vide illic plura in hunc sensum. Qvæ cuncta probamus, simulq; Philippi Glassii *Philol. p. 422.* nomen Dei adjectum πρώτως, *propriè & formaliter* causam efficientem notare, significationem intensivam esse ἐπεμένην, *secundariam & materialem.* Rectè proinde hîc B. Lutherus nomen Dei in versione expressit, qvod & LXX. & Chaldæus & Syrus & Arabs fecerant ante eum. Malè omisere qvidam recentiores.

מהלך) est spatium, qvod qvis commodè pedibus emetiri per diem qveat, cui communiter adscribunt 20. milliaria Italica seu 5. Germanica.

v. IV.

Et cœpit Jonas ingredi urbem itinere diei unius, & prædicavit & dixit: Adhuc qvadraginta dies & Ninive evertetur.

ויחל) Constituerat Jonas urbem universam permeare, sive in circulum sive per præcipuas plateas longitudinis. Sic unus alterq; dies insumendus erat, licet qvotidie 20. milliaria Italica eundo conficeret. Cæterum cum unum diem insumsisset, statim, ut seqvitur, crediderunt.

ארבעים יום) LXX. contra fidem omnium codicum vertunt τρεῖς ἡμέραι, cumqve iis Arabs. At Aqvila, Symmachus, & Theodotion habent *qvadraginta*. Cæterùm varie excusant τοὺς ὁ. Puta qvod abbreviatè scripserint τεσσεράκοντα, vel μ, qvod alii acceperint pro τρεῖς vel γ: vel qvod putarint Jonam qvotidie proclamasse concionem, semper demendo diem, donec triduo ante præfinitum terminum ultima vice clamaret: *adhuc tres dies* &c. Conf. Corn. à Lap. Ribera, & Castrus *h.l*, Leon Coqveus *ad Aug. de C.D. l.18. c 44.* Waltherus *harmon. bibl. p. 726.* Hacksp. *miscell. p. 137. & not. Bibl. part. II. p. 997. s.* Qvicqvid dicatur, perinde nobis est, modo ne qvis suspicetur, in codice τῶν ὁ scriptum fuisse שלשת, qvo abit Lud. Cappellus in *Critica sua sacra* (verè sacerrima) castigatus merito à Cl. Buxtorfio *Anticrit. p. 620.* Certè si toties aliter in codice suo legerunt, qvoties in numeris à textu nostro discrepant, qvo codice tandem usi sunt Gen. V.?

נהפכת) *Præsens* pro *Paulo post-Futuro.* Ad certitudinem. הפך in genere notat *mutationem* personæ vel rei *in statum alium* seu meliorem seu pejorem. *h.l.* Redigere in cineres instar Sodomæ & Gomorrhæ, de qvarum excidio eadem phrasis occuerit *Gen. 19. v. 21. 25. 29. Jerem. 20. v. 16. c. 49. v. 10. c. 50. v. 40. Es. 13. v. 19 Amos 4. v. 11.* Tum æqvalia delicta erant, in cœlum clamantia.

QVÆSTIO I.

Num iter tridui per diametrum, an verò per circuitum sit capiendum?

Ambitum murorum Ninives fuisse itineris tridui censet *Aben Esra*, & sic *Hieronymus*, *Haymo*, *Remigius*. Alii ut *Lyranus*, *Vatablus*,

Vatablus, B. Lutherus, Mercerus existimant, ad perambulationem omnium vicorum opus spatio tridui fuisse *Kimchi, Abravanel, C. à Lapide, Sanctius &c.* putant, per diametrum ab extremo uno sub urbiorum ad alterum, seu à portas ad portam fuisse iter tridui. Illa magnitudo hyperbolicè augetur in *Pereschit Rabba*, ubi dicunt Niniven fuisse itineris 40. dierum, unde tot diebus opus fuisse, ut præco per universam urbem concionem proclamaret. At monstrosa est magnitudo 200. milliarium Germanicorum, quamvis suburbia simul concipias. Nobis prima sententia magis placet, qvæ urbi magnæ nec nimium nec parum tribuit, & exactè convenit cum descriptione Diodori Siculi *l. 2. c. 3.* Ex ea patet, Nineven conditam à Nino (qvi nobis videtur Assur *Gen. 10. v. 11.* filius *Nimrodi* i.e. Beli, alteri Assuri Semigenæ *v. 22.* cognominis) fuisse figura parallelogrammo oblonga, & duo latera longitudinis habuisse 150. latera latitudinis 90. stadia: adeoqve περίβολον seu ambitum constitisse 480. Stadiis. Porro 32. Stadia faciunt milliare Germanicum. Itaqve 5. milliaria Germ. reddunt 160. stadia, & 15. milliaria (qvi requiruntur ad iter tridui) 480. stadia. Conf. Fullerus *l. c.* & Coccejus *h. l.*

QVÆSTIO II.

Num Jonas totam urbem perambularit?

Hieronymus ait, *eum viam trium dierum unius festinatione complêsse.* Aben Esra putat, cum peribolus esset tridui, diametrũ unius die fuisse, qvasi urbs necessario fuisset rotunda. E collatione *v. 4. & 5.* patet Jonam, cum uni9 diei iter confecisset, confestim sensisse, Ninevitas credere, & se fama qvasi præveniri. Cessasse autem eum hic à prædicando & non fuisse progressum ulterius, S. Scriptura non dicit, neq; nos dicem9. Videtur poti9 in concionando perrexisse, donec res tota omnib9 innotesceret.

QVÆSTIO III.

Cur Nineve non subversa sit juxta prædictionem Jonæ?

Comminatio capienda erat cum conditione pœnitentiæ. *V. Jerem. 8. v. 8. & 26. v. 3.* Erat voluntas Dei de evertenda Nineve non signi, sed seria, at conditionata. Nec est, quod regerat Abravanel, conditionem illam addi debuisse, cum Ninivitæ nescirent vias Domini. Nam κήλευσμα qvoddam ad pœnitentiam procul dubio à Jona additum est. Certè hic non proponitur tota concio Jonæ, sed ejus summa qvædam. Procul dubio fusius exposuit, à qvo missus sit, & qvæ causa iræ Dei, & qvæ ratio placandi eum. Interim expresse addi, si pœnitentiam agerent, temporalem pœnam non secuturam, necesse haud erat. Cæterùm ridiculus est Abravanel, qvi duos modos explicat, qvibus dici qveat, Nineven post istius temporis decursum verè versam esse. 1. Si נהפכת capiatur an biguè h. m. Post 40. dies Ninive mutabitur i. e. *convertetur*, si resipuerit; *evertetur*, si minus. 2. Si singuli dies capiantur pro annis, (qvod & in *Pirke Elieser c. 43 fit*) insinuari hic tempus, qvo revera postmodum eversa sit à Nebucadnezare. Nam per עוד rectè inferri annos 80. qvot sc. literæ arithmeticè suppeditant, si addas 40. dies pro annis acceptos, provenire 120. annos, qvot effluxisse ad eversionem Ninives operosè probat *f. 259. 2. 3.* Sed neutra conjectura sana est. *Non prima:* sic enim seqveretur, unius dicti duplicem esse sensum, & Deum ludere æquivocationibus atqve amphiboliis. *Non altera:* Nam qvo jure miseriam illam recentiorum Cabbalam Deo adscribit? Et qvæ confusio orietur, si liceat pro diebus ubiqve annus & contra substituere. Licebit autem aliis alibi eodem jure, qvod hic Abravaneli licuit. Nec qvadrat huc, qvod plurale ימים capi dicitur pro uno anno. Nam sic infertur multorum dierum complexus & periodus. Et שבעה *hebdomas* in differens est ad septenarium dierum & annorum.

PARS

PARS III.
DE NINEVITARVM POENITENTIA.

v. V.

Et crediderunt homines Ninives in DEUM, & indixerunt jejunium, & indueruut ſaccos, tàm magni qvàm parvi,

ויאמינו) Verâ & ſalutari fide, qvæ omnium ſeqventium bonorum operum fons & radix eſt. Conf. *Rom. 14. v. 23. Ebr. 11. v. 6.* Idqve εἰς κήρυγμα Ἰωνᾶ. Naufas iviſſe Niniven & narraſſe facta Jonæ, ut non omninò negamus, (ob locum *Luc. 11. 30.*) ita tamen non concedimus Kimchio, R. Jeſuæ apud Aben-Eſram & C. à Lapide, citra illud miraculum Jonæ non credituros fuiſſe. Mirari licet celeritatem converſionis hominum peſimorum ad unam concionem Jonæ, non negare, nec dubitare de efficacia verbi divini. *Eſ. 55. v. 11. Rom. 1. v. 6. Ebr. 4. 12.*

אנשי i. e. *incolæ* Ninives. Vid. Glaſſ. *Philol. S. p. 467.* Sic Ἰωναᾶ τῆς *Matth. 10. v. 4.* Angelo Caninio *ad LL. obſ. N. T. p. 97.* & aliis eſt איש קריות *Cariotenſis* ex *Joſ. 15. v. 25.*

ויקראיצום) Publicè per præconem indicunt jejunium, correcturi ita priſtinam luxuriam.

וילבשו שקים) Exutis aut laceratis veſtimentis ſplendidioribo induebant craſſa & dura è vili cannabi aut lino. Conf. de Sacco Schindl. *Lex. Pentagl.* שק. Menochius *l 8. de Rep. Ebr. c. 6. q. 4.* Sopranes *de re veſtiar. Jud. f. 316. f.* Magnif. Dn. D. Geierus, Patronus noſter optimus, *de luctu Ebræor. c. 22. §. 6. f.* Dilherr. *Dial. Philol. p. 46.* & qvæ diximus *Specim. Antiqv. ſacr. Dec. 2. Poſic. 10. p. 54 f.* Erat in Ninevitis ſaccorum geſtatio externum animi verè pœnitentis ſymbolum, nec habebatur pro cultu Dei per ſe, ex opere operato & cum opinione meriti, aliàs DEO diſplicitura *Eſ. 58. v. 5.* Unde monachi neqvicqvam huc

sua cilicia trahunt. V.D. Georg. Zeæmannus *carnific. Esavit. p. 444 s. & 806 s.*

מגדולם) *A magno eorum ad parvum* i. e. tam magni, qvàm parvi. Ebraismus. Flacius subintelligit: *numerando.* Conf. Glass. *Philol. p. 845.*

v. VI.

Pervenerat enim res ad Regem Ninives, isq; surrexit de throno suo & deposuit chlamydem suam, & operiens de sacco sedit in cinere.

ויגע) Famâ de ferali isto vaticinio ad Regem delatâ potuit fieri, ut Jonam accitum coram audiret, qvanqvam id in brevi historia non memoretur.

דבר) i. e. *negotium.* Conf. Glass. *Philol. p. 577.* Sic in N. T. ῥῆμα *Luc. 1. v. 37. c. 2. v. 15. Act. 10. v. 37.* Conf. Joh. Vorstius *de Ebraism. N. T. P. 1. p. 27.*

מכסאו) Non est *sedile* quodvis (seu מושב) sed solium Regis aut Pontificis, ita dictum, qvod tapetibus *opertum* sit, à r. cogn. כסה, ut observat Forsterus.

ארדה) Rex præiturus exemplo, descendit de solio, sedet in solo. Mollibus vestitus erat, induit duros saccos. Exuit cum cæteris ornamentis regiis ארדה. Junius vertit *Paludamentum*, qvem taxat hic ipsius Simius Piscator & mavult *pallium.* Est propriè à r. ארר vestis *insignis* & *ampla*, qva usi & Reges & Prophetæ, eaq; discreti ab aliis sunt. Porro ארדת Regis Ninives magnifica erat purpura ad talos demissa, multo auro gemmisq; splendens. Conf. Barn. Brissonius *l. 1. de rebus Persic. p. 35.* &, qvi ex professo de ארדת egit, Fullerus *l. 4. Misc. c. 7.*

על האפר) Signum aliud veræ & non simulatæ pœnitentiæ. Rex delicatissimus antea, nunc sine catastromate in cinere sordidatus sedet & se volutat, agnoscens, se pulverem & cinerem esse. Ita mos aliàs Ebræis erat in luctu, jejunio, pœniten-

nitentia, cinerem sibi inspergere & in eo sedere. Ejus rei vestigia apud Latinos & Græcos ostendit Kirchmannus *de Funerib. Rom. l. 2. c. 12 p. 208.* Conf. Pineda, Boulduc, Coccejus *in Job. 2. v. 12. 13.* Menochius *l. 8. de R. E. c. 6. qv. 10.* D. D. Geierus *de L. E. c. 9.* Lightfootus *Hor. Hebr. in Matth. p. 125.* Dissimilis valde ludicra aspersio cineris Papistica sub initium qvadragesimæ, de qva conf. D. Thummius *de Festis p. 95.*

v. VII.

Et proclamari curavit, & edixit qvis in Ninive de sententia Regis & Magnatum ejus dicendo: Nullus homo, nec armentum nec jumentum nec grex gustando qvicqvam, ne pascuntor, nec aqvas bibunto.

ויאמר) Impersonaliter. Subint. Is, cui id à Rege datum. Conf. Glassius *Phil. p. 594.*

טעם) Propriè *gustus*. Metaph. rei *decentia* vel πρέπον, qvæq; de eo fit *dispositio* aut *constitutio*. Ita h. l. *Decretum* à Rege & Senatu regni factum. Merc. *de par le Roy & son privé conseil.*

והבחמות הבקר והצאן Nomina collectiva. Primum generale & indifferens; duo sequentia specifica, illud de pecoribus majoribus, hoc de minoribus. בקר dicitur à *qværendo*, qvia jumenta non vagantur liberè in campo, sed sunt sub *inqvisitione*, cura & inspectione hominum.

אל ישעמו מאומה) Sic Judæi jejunantes abstinebant ab omni cibo & potu à vespera ad vesperam. De eorum jejuniis adi sis Talmudistas *in Massech. Taanit*, Maimonidem *in Hilc. Taaniot. s. Tract. de Jejuniis*, qvem Latine versum seorsim edidit Adm. Rever. & Excell. Dn. L. Joh. Bened. Carpzovius, Fautor noster venerandus & amicus honoratissimus R. Jac. F. R. Aser *in Arba Turim P. 1. s. Orach Chajim f. 68. s.* Menochium *l. 3. de R. E. c. 12. qv. 3. s.* Sigonium *l. 4. de R. E. c. 18.* Dallæum *de Jejuniis*, Buxtorf *Synag. Jud. c. 30.* & Magn. D. D. Geierum *de Luctu Ebræor. c. 20.* Itaq; aliter jejunarunt Ninivitæ, qvàm Papistæ,

pistæ, qvi jejunare se dicunt, idqve cum opinione necessitatis, cultûs & meriti (contra *Esa. 58. v. 5. s. Zachar. 7. v. 5. s.*) qvando se piscibus & aliis lautitiis ad ambas usq; aures opplent, & vinô ita nonnunqvam ingurgitant, ut *guttur* ceu D. Hieronym. loqvitur *l. 2. adv. Jovin. p. 78.*) *mediatorium efficiatur latrinarum.* Conf. B. Chemnitius *Exam. Concil. Trid. P. 4. c. de Jejun. p. 254.* D. Jac. Heilbrunner Uncatholisch. Pabst. *art. 4. c. 11. p. 87.* & D. Zeæman. *carnif. Esav. p. 460. s.*

v. VIII.

Et operiantur saccis homines & jumenta, & clament ad Deum validè, & convertantur qvisq; à via sua mala & ab injuria, qvæ est in manibus ipsorum.

והבחמות) Et bestiæ debebant in communi luctu esse, ut antea in communi luxu. Sc. camelis, eqvis, mulis detrahebantur pretiosa integumenta & imponebantur vilia stragula, ut hodie in luctu principum & nobilium eqvi atris pannis indui solent, ut simul lugere videantur. Conf. Drus. *hic & l. 12. obs. c. 1.*

בחזקה) *in fortitudine* i. e. fortiter. V. Glass. *Philol. pag. 688.* qvasi *magnâ vi* nubes clamore suo perrupturi.

מדרכו) *Via* ex phrasi S. Scripturæ est *institutum & ratio vivendi.* Vid. Glass. *Philol. p. 1316.* Vult Rex, ut emendent pessimam vitam, & in specie relinqvant violentiam & rapinam publicam, aliaq; peccata hactenus usitata.

בכפיהם) i. e. qvam exercuerant ejusq; adhuc rei erant. Nam manus est ὄργανον ὀργάνων, ut in bonis, ita & in malis actionibus.

v. IX.

Qvis scit, revertetur & pœnitentiâ afficietur DEUS & recedet ab excandescentia iræ suæ, nec peribimus.

מי יודע) Est formula benè sperantis & affirmantis cum voto. q. d. *Sic spes est, ut revertatur* &c. Conf. *2. Sam. 12. v. 22. Joël 2. v. 14.*

v.14. &c. Kimchi & Abravanel contra genium voculæ interrogativæ מי: *qui scit* sc. modum veræ pœnitentiæ, *convertatur &c.*

ישוב) Si ipsi ישובו (à peccatis.) DEUS ישוב (ab ira.) Conf. *Zach. c. 1. v. 3.*

ונחם) Dicitur ἀνθρωποπαθῶς & accipiendum est θεοπρεπῶς, de *effectu* potiùs qvàm *affectu*, nam propriè DEUM nullius rei pœnitet *Num. 23. v. 20.* Sed ut *irasci* dicitur, cum scelera punire vult, ita *reverti ab ira*, qvando & culpam & pœnam condonat.

מחרון אפו) Αὐξήσεως ἕνεκα *V. c. 2. v. 8.* חרון est ira vehementissima & qvasi *flagrans*, excandescentia.

QVÆSTIO I.

Quis tum temporis fuerit Rex Nineves?

Ridiculus est Nechonias *in Pirke Elieser c. 43.* dum Pharaonem à mortuis suscitatum ex *Exod. 9. v. 16.* & tum Ninevæ regnâsse asserit. Grotio non displicet *Phulbelochus*, qvi Diodoro *Belesis* est. At Castrus & C. à Lap. *h. l.* Torniellus *Annal. ad A. M.* 3215. & Laurent. Fabritius *Partit. Codic. Ebr.* aliiq; contendunt fuisse *Sardanapalum*, in qvam sententiam urget *Cornel. à Lapide* 1. qvò pleriq; Chronologi, solô ferme exceptô Genebrardô, consentiant, Sardanapalum fuisse σύγχρονον Jeroboami, sub qvo Jonas prophetârit. 2. qvod constet, Sardanapalum fuisse ultimum in Monarchia Assyriorum, qvæ deinceps ad Arbacem & Medos translata; Jonam verò procul dubio missum florente Assyriorum Monarchia atq; Nineve, & sic ante excessum, Sardanapali. 3. Sardanapalum fuisse luxuriosissimum, qvem secuta sit Nineve, unde intentatum excidium. Qvæ omnia probabilia sunt & à nobis, tacente Scriptura, nec defenduntur nec rejiciuntur penitus.

QVÆSTIO II.

Quamdiu durârit jejunium Ninevitarum?

Qvi per 40. dies extendunt, intelligunt non abstinentiam ab omni cibo, sed à luxu, & negationem saturitatis, cùm illa naturaliter & sine miraculo fieri non potuisset. Conf. Oecolam-

lampadius & Tarnovius *h. l.* At Scriptura expresse ait non gustasse eos מאומה *qvicqvam*, Chrysostomus *Hom. 1. de Pœnit.* huic jejunio dat triduum. Alii unum diem. Scriptura nec dicit 40. diebus jejunasse, nec qvamdiu. Potuit fieri, ut per totum illum tractum temporis jejunarent, sed alternis vel interpositis diebus, qvod tamen ponimus, non statuimus.

QVÆSTIO III.

Cur jumenta qvoq; jejunarint.

Snepsius notat, Regem sic voluisse populum à cura pecoris & omni labore avocare, ut omnes toti precibus & pietati incumberent. Potius id factum videtur, ut homines miserabili voce esurientium bestiarum ad preces continuandas moverentur. Processum temerè determinat R Nechonias *in Pirke Elieser c. 43.* hoc modo. *Phamo* (hunc enim Regem illum fuisse nugator ait) *surrexit è solio suo, & laceravit vestes suas, & saccò induit se totum, populum convocavit, ut omnes secum jejunarent per triduum, & qui facere detrectaret, igne combureretur. Quid fecit? Disposuit ab uno latere viros ab altero fœminas, atqve omnem bestiam mundam ab una parte, omnem verò immundam ab altera parte. Infantes autem respicientes ad ubera matrum suarum cupiebant lac sugere, matres etiam intuentes filios suos volvebant lac præbere & lacrymabantur &c.*

QVÆSTIO IV.

Num vera fuerit Ninivitarum pœnitentia?

Negat Abravanel *f. 259. 3.* qvod reversi qvidem dicantur à via mala, at non à fide & religione destitisse. Verùm expresse dicuntur credidisse באלהים qvem & Rex *v. 8.* vult invocari. Ergò idolis renunciarunt. Vera utiq; fuit pœnitentia, nam & contritionem habuerunt ob peccata & fidem in Deum. Præterea Salvator expresse ait ὅτι μετενόησαν εἰς κήρυγμα Ἰωνα *Matth. 12. 41.* Qvare ab impietate parùm abesse judicamus hæc verba Cocceji *p. 275. Testamentum DEI ut prædicatum & cognitum ipsis non fuit, ita etiam verâ cordis fiduciâ non commiserunt se DEO ut* fi-

deli

deli *adservandum* creatori. *Quare etiam vera eorum pœnitentia non fuit, quæ nomen* μετανοίας *mereretur. Quanquam ita appellet Matthæus verbis Salvatoris* Matth. 12. 41. *Vocabula emphatica non semper capiuntur in sua plenitudine atq; efficacia.* Sanè nisi Testamentum DEI ipsis per πνευμα Ιωνα cognitum fuisset, nec credere in Deum, nec DEO placentia opera edere potuissent. Alios malè habet, quòd hæsitanter loquantur מי יודע. At non dubitant de remissione *culpæ* neque *pœnæ æternæ*, sed *temporalis afflictionis*, quam DEUS sibi liberè reservat post reconciliationem: quanquam nec de ista *dubitent*, sed *benè sperent*. Conf. Magnif. Dn. D. Calovius *Annot. Anti-Grot. ad h. l.* & B. Dn. D. Joh. Benedict. Carpzovius *Disp. Inaug. de Ninevitarum pœnitentia.*

PARS IV.

DE DEI MISERICORDIA.

v. X.

Et vidit DEUS opera eorum, quod reversi essent à via sua mala, & pœnituit DEUM mali, quod dixerat se facturum illis, & non fecit.

ויראה) Observant inferre ראה *accuratam & acutam visionem*, inde ראה *vulturum* dici ab *acumine visus* & ראי *speculum clarum.* Per metalepsin connotat affectum, ut si quis oculos in rem sibi gratam teneat defixos, intelligimus, quod eam amet, curet, probet. Sic Deus *videre* dicitur, cùm probat, & ipso facto ostendit, quid sibi placeat. Vid. *Genes. 1. 4. c. IV. 4. &c.* Vidit ergo opera Ninivitarum, dum ea probavit, non quasi *meritoria gratiæ ex congruo*, nec *satisfactoria pro pœna temporali* (ut vult Bellarm. *l. 4. de pœnit. c. 6. & l. 2. de bonis operibus in partic. c. 11.*) sed intuitu fidei apprehendentis meritum Messiæ Mediatoris, à Jona prædicati, *v. Jerem. 5. v. 3.* Proficiscebantur enim opera ab iis, qui credebant *v. 5.* & שבו *v. 10.* & sic pacem habebant cum Deo *Rom. 5. 1.* Et cùm placeant opera per fidem propter Mediatorem, Deus ea hic ex gratia promissionis *1. Tim. 4. 8.* remissione

temporalis afflictionis liberaliter remunerabatur. Conf. B. Gerhardus *L.C.T.4. §.57.* Chemnitius *L.C.P.3.p.728.* Winkelmannus *h.l.* & Waltherus *Harmon. Biblic. p.728.*

ויּנחם) *Pœnitet* Deum mali, dum non infert malum, qvod sub conditione decreverat. B. Tarnovius *p.112. Decreta Dei conditionata possunt conditione mutatâ mutari, cùm tamen ipse semper sit immutabilis. Non enim mutatio in ipso, sed creaturis accidit, ut columna qvædam manet stabilis, sed ego eam circumeo, & modò illa mihi dextra, modò sinistra est, cum ipsa sit eadem, eodemq; in loco.*

ולא עשׂה) Condonavit & culpam & pœnam, non modò æternam, sed & temporalem.

QVÆSTIO.

Cur Ninive non obstante divinâ συγχωρήσει postmodum sit eversa?

Non est eversa Ninive eo tempore, qvo ex prædictione Jonæ evertenda fuisset, nisi pœnitentiam egissent. At cum Ninivitæ postea redirent ad solita vitia, prædictũ illis denuò excidium per Nahum, qvod & ipsis non pœnitentibus, actu illatum est à Cyaxare & Nebucadnezare, ut probat Cornel. à Lapide *in Nahum c.2.p.486.*

CAPUT IV.

Continet colloqvium DEI & Jonæ geminum & dividit seipsum in duas partes. I. De colloqvio DEI & Jonæ priori, in qvo describitur 1. Jonæ displicentia *v.1.2.* Jonæ qverela *v.2.3.* 3. DEI responsio *v.4.* II. De colloqvio DEI & Jonæ altero, ubi 1. Colloqvii occasio s. planta *Kikajon* ortus & interitus *v.5.6.7.* 2. Jonæ petitio *v.8.* 3. Divina informatio *v.9.10.11.*

PARS I.

DE COLLOQVIO DEI ET JONÆ PRIORI.

Vers. I.

Et displicuit id Jonæ displicentia magnâ & efferbuit.

וירע) Abravanel *f.259.3.fin. & f.2.601.init.* intelligit febrim, qvæ

Jonam

Jonam invaserit. Nos febrim inde nullam elicere possumus. Verisimilius est Abravanelem, cum ista scriberet, febri animi laborasse. Ῥῆσις infert animum malè affectum sive ex justo sive inordinato dolore. Hujusmodi sanè erat affectus Jonæ, qvod vel divina ἐπίπληξις arguit. Jonas sc. videns alium suæ concionis eventum, qvàm sperâsset, Deo pœnam temporalẽ Ninivitis condonante, irascitur dolentq; oculi εὐτυχημισοῦντι, οὓς θεὸς φιλεῖ. Emphasin non asseqvuntur LXX. & Arabs vertentes: *Tristatus est*: VV. *afflictus est*.

ויחר לו) *Exarsit ipsi*: Supple conjugatum: חרון *ira* V. *Gen. IV. 5. 6. Amos IV. 2. &c.* Irascitur autem non Deo, alioqvi extremè impius, sed partim Ninivitis, partim sibi ipsi, qvod talem legationem suscepisset.

v II.

Et oravit ad Dominum dicens: Qvæso Domine, annon hoc erat verbum meum, cum adhuc essem in terra mea? ideo præoccupabam fugere Tarsum: Noveram qvippe, qvod sis Deus gratiosus & misericors, longanimis & amplus gratiâ & qvem pœnitet mali.

ויתפלל) Oratio è Zelo οὐ κατ' ἐπίγνωσιν. Nescit qvid petat: ac si puer gladium vel venenum. Conf. *Matth. 20. 22. Rom. 8. 26.*

דברי) Præsagiit & prædixit animus hunc concionis meæ eventum.

על אדמתי) Abravanel exponit: *Contra terram meam* scil. prævidi omnia dirigi. Coactius Sensus planus: Cum essem ἐπὶ χθονὸς πατρῴης.

קדמתי) Consultius duxi præcavere incommoda, qvæ nunc deploro, & declinare qvocunq; modo hanc provinciam. Sic peccatum turpe turpiùs excusat, qvasi iterum fugitur, si res integra esset.

אל־חנון) *Ex Exod. 34. 6.*

רחום) Infert propriè σπλάγχνα ἐλέους habentem, ut miseriâ alterius non possit non moveri. *Hos. 11. 8, Luc. 1. 78.*

ארך אפים, Μακροθυμῶν. Ineptè Arias passim: *Longo naso.* Qvanqvam enim אפים *nares* significet, non tamen semper, certè non in hac φράσι, ubi *iram* notat, qvam qvasi *naribus* spiramus. Non qvivis calceus cuivis pedi convenit.

v. III.

Nunc igitur, Domine, aufer qvæso animam meam à me: nam melius est me mori, qvàm vivere.

קח־נא) *Mortis* est circumscriptio, ut *1 Reg. 19. 4.* Pravè huc Judæi qvidam trahunt *Gen. V. 24.* ut ostendimus *Diss. de Henoch. c. 3. §. 1. & 6.*

מחיי) i. e. *Qvàm vita.* De qvo Ebraismo egit B. Tarnovius *h. l. p. 121. s.* Q. d. mori præstat, qvàm sic vivere. Votum impatientis animi.

v. IV.

Et dixit Dominus: An benè efferveſcis?

החיטב) Jonathan & Kimchi: *Siccine valdè insceris?* Ita & Mercerus & alii. Conf. Glassius *Phil. p. 872.* Japhet ap. Aben Esram & Abravanel: An ideo, qvod ego *benefacio*, tu aliis irascaris? velut *Matth. XX. 5.* Commodius: Interroga qvæso tuam conscientiam & vide, num היטב satis *bene, rectè & rationabiliter*, Symm. δικαίως irascaris. Hæc primaria significatio של היטב *Es. V. 1. 17. Jer. 10. 5. Deut. 19. 18. &c.* Certè valdè irasci eũ, apparebat. De *facto* non est qvæstio, sed de *jure*, eaqve non *ignorantis* vel *dubitantis*, sed *litem contestantis* & *informantis*. V. *Gen. IV. 6. s.* & Conf. Glass. *Phil. p. 1133.*

QVÆSTIO I.

Qvæ fuerit causa indignationis Jonæ?

Ebræi & alii qvidam volunt, Jonam non indoluisse ob ἄνεσιν Ninivitarum, sed θλῖψιν imminentem suorum ex superabundantia affectûs, ut *Ex. 33. 32.* Sed eum ægrè tulisse, qvod Ninivitis parceretur è v. 11. patet. *Vatablo* ait iratum fuisse, qvod Israli-

tæ

elitæ tot minis non corrigerentur, cum tamen Ninivitæ ad unam concionem resipuerint. Ita laudabilis ira fuisset, qvam Deus improbat *v. 4. Coccejus* inter alia ait Jonæ doluisse, qvod Deus extrinsecæ isti humiliationi, qvam tamen sincerã non esse sciret, veniam impertiretur. Scilicet hoc Jonæ non veniebat in mentem, aliàs ad qvæstionem Dei v. 4. non tacuisset. Nec valdè curasse videtur, si maximè à Ninivitis Pseudopropheta diceretur, (qvod volunt *Rasthi, Clarius, C. à Lapide* & alii) apud qvos ipsi nec ferebatur nec metebatur: imò inutilis metus, cum verè resipuisse sciret Deumq; agnovisse. At nec iis conversionem & æternam salutem invidit, qvin omnibus potius, qvibus potuit modis, juvisse & promovisse videtur. Sed qvantum judicamus, putârat Jonas decretum DEI de excidio temporali Ninives esse absolutum & secuturum, licet maximè pœnitentiam agerent & æternùm salvarentur. Cum verò elapso tempore definito videret Niniven non everti, indignatus est se fuisse parium opprobrii & damni suorum, qvibus nunc invisus & infami redux futurus sit, qvod servarit sua concione Assyrios in se qvondam armandos: nec defore inter suos suspicatus est, qvi se ceu Pseudoprophetam traducerent.

QVÆSTIO II.

Num Jonæ indignatio excusari qveat?

Excusant Jonam, qvi justam vel tolerabilem indignationis causam prætendunt. Puta motum fuisse gloria DEI, studio charitatis &c. Conf. C. à Lapide, Oecolamp. & Coccejus *h. l.* Verùm non uno modo graviter peccavit. Invidet Ninivitis, qvod ipsis DEI gratia benè sit, lubentiùs tot hominum interitu oculos pasturus. Excusat fugam suam, ob qvam punitus erat. Obedientiæ suæ eum pœnitet, malletq; nunc non factam. Deo ceu Aristarchus nescio qvam intempestivam lenitatem & mutabilitatem objicit. Suam autoritatem & favorem ap. suos gloriæ DEI & tot hominum vitæ præfert. Deniq; præ impatientia sibi mortem imprecatur. Excuset ista, qvi potest. Deus ipse taxat *v. 4. 9* Interrogatio qvippe illa fortiter negat. V. Glass. *Phil. p. 448.* Mina-

Mirabilis homo profecto fuit Jonas, ait B. Winkelmannus. *Nam qværes illi maximè gaudii causa esse debebat, nimirum prædicationis suæ prosper successus & fructus, Ninevitarum pœnitentia & tantæ urbis salus, inde indignationis, invidiæ fremitusq; causam capit.* Conf. B. Tarnovius *h. l. p. 116. f.* Satius proinde est piè mirari bonitatem ineffabilem DEI prophetam nimis aberrantem comiter reducentis, qvàm extenuare lapsum Prophetæ.

QVÆSTIO III.

Cur Jonas ad qvæstionem DEI nil responderit?

Abravanel ait, tacuisse, qvod sciret Deum ceu καρδιογνώστην optimè nosse, se non tàm invidere Ninevitis salutem, qvàm suorum vereri interitum. At sic & postea tacere poterat. Nam & tum Deus ejus cogitata sciebat. Potiùs pudore suffusus & qvod in conscientia sua fortissimè convictus nullam justam iræ causam prætexere posset, tacuit.

PARS I.

DE COLLOQVIO DEI ET JONÆ ALTERO.

v. V.

Exiverat verò Jonas ex urbe & consederat ad orientem urbis & fecit sibi istic tuguriũ sedit q; sub eo in umbra, dum videret, qvid urbi eventurum esset.

ויצא) Putat *à Castro* esse hysterologiam & hæc recto ordine locanda *c. 3. ante v. 6.* sed non opus est tantâ μεταβολῆ, si per plusqvamperf. exponas, ut infrà dicemus.

מקדם) Oriens dicitur קדם qs. *anterior* pars mundi sc. si qvis tergum mari mediterraneo obvertat. Incertum est, qvod Ebræi tradunt Adam creatum esse facie versus orientem dispositâ, qvò solem orientem aspiceret. V. Bechai *ad Deut. 3. 23.*

סכה) à *tegendo*, sc. à cœli injuriis. Elegerat Jonas locum qvendam tutum ab oriente, unde commodus in urbem prospectus esset, & struxerat sibi in aliqvot dies è virgulto & frondibus tuguriolum, sub qvo lateret, urbis fata &, qvod optabat, excidium speculaturus.

v. VI.

v. VI.

Et subornavit Dominus Deus Kikajon & subvexit supra Jonam, ut esset umbra supra caput ejus ad tuendum illum à malo ejus: lætatusq; est Jonas de Kikajon lætitiâ magnâ.

וימן) produxit, Jona non advertente, extraordinariè sine semine. Itaq; παχυφυία ejus *v.10.* non erat merè naturalis, nec inde de specie plantæ certum argumentum.

קיקיון) *LXX. Syrus, Arabs, Æthiops, Pagninus, B. Lutherus, Forsterus, cucurbitam* vertunt: *Aqvila, Symm. Theod. VV. C. à Lap. Oecolamp.* aliiq; *hederam:* alii malunt *cucumerem*, alii *platanum*, alii *ficum*, alii *Mauz*, alii *ricinum. Ribera & Sanchez* censent esse nomen commune arbustis, qvæ brevi crescunt & frondes producunt ad umbram faciendam. Sic Muhammed. *Sur. 36* exponit *arborem* יקטין i.e. *expassam*, uti vult Hottingerus *Hist. Orient. p. 78. 79.* qvanqvam Giggejus & Golius cucurbitam malint. Aliis placet σκηνή. Sic. Genev. *Et l'Eternel Dieu appresta un kikajon* &c. Nostram Θάμνος infrà dabimus.

מרעתו) Iterum febrim ingerit Abravanel, ob qvam grata fuerit Jonæ refrigeratio. Nescio, unde febriculosus homo id habeat. Nam, qvod *v. 8.* de æstu solis dicitur Jonam vexante, non statim febrim infert. רעה hic injurias cœli & æstum indicat, à qvibus planta ista, frondibus, è qvibus structum Jonæ tugurium, sensim arescentibus, Jonam tueretur, tugurium ejus inumbrando & ambiendo, tum & lassum recrearet. Instituebat Deus Jonam sensibili qvodam argumento ad saniorem sententiam perducere.

v. VII.

Et subornavit Deus vermem, cum surgeret aurora postridie, & læsit Kikajon, tunc exaruit.

תולעת) Forte à colore. Nam תולע est *coccus.* Nisi coccum dici malis à vermiculo, de qvo Forsterus *Lex. Ebr. p. 329.* qvi deducit à ילע *deglutire, abrodere.* Qvalis fuerit hic vermis, nil re-

fert scire. Sufficit, qvod idoneus esset operationi, cui à Deo destinabatur. Theophylact. vult *erucam*: Arias *teredinem*. Extraordinarium fuisse, aliis mordaciorem, non opus cum C. à Lapide fingere.

ותך) הכה est in genere *læsit* & *perdidit*, qvocunq; id fiat modo. Hîc materialiter infertur *erosio*, unde planta exaruit, simulq; evanuit gaudium Jonæ cum conceptibus, qvos sibi fecerat.

v. VIII.

Et factum est, ortô sole ordinavit Deus ventum orientalem silentem, & feriit sol caput Jonæ, ut deficeret animo: tunc expetiit animæ suæ mortem & dixit: Præstat mori me, qvàm vivere.

השמש) Deducunt pleriq; à Ch. שמש *ministravit*, qvod lumen *ministrando* qs. totius mundi *famulis communis* sit. Potiùs deducerem à r. שמס Arab. *Micuit, claruit*, qvod diem *clarificet*.

חרישית) Eurus *silens* dicitur (Διακριτικῶς respectu Euri *sonori* & *violenti*, ut observat B. Tarnovius *h.l.*) qvi aerem submissè & insensibiliter perflat nec turbat à sole inflammatum, qvin inflammat magis. Aliis est ventus *surdus* vel qvod non audiatur, vel juxta *R. Marinum* & *Kimchi*, qvod tam vehemens sit, ut *surdos* faciat. Sed prius huc magis qvadrat. Volebat enim Deus, ut sol æstu suô Jonam ad ejus correctionem sine impedimento peteret. *R. Jonas* alieniùs à tempore החריש *arationis* deduxit ventum.

ויתעלף) à *tegendo*, qvod anima in deliqvio qs. *tegatur* & occultetur.

וישאל) i.e. *expetiit seipsum ad mortem*, sibimet mortem imprecatus est: importunè nunc flagitans, qvod antè *v.3.* rogaverat. Concurrebant impotentia animi corporis æstuatio.

v. IX.

Et dixit Deus ad Jonam: Num rectè excandescis propter Kikajon? Et respondit: Rectè excandesco usq; ad mortem.

היטבחרה־לי)

היטב חרה־לי) Proterva responsio, qvâ ostendit, qvò etiam homines pii prolabantur, qvando mentes semel pravis affectibus excœcatæ sunt. Nam cum suprà *v.4.* idem rogaretur, nil respondit, se suô damnans silentio, nunc qs. cœcus iram suam perversam ob rem tàm levem approbat & defensat, & præ impatientia vitam fastidit, mortem expetit, qvasi desperationi proximus.

v. X.

Et dixit Dominus: Tu parci vis isti Kikajon, ob qvem non laborasti, nec educasti eum: qvi nocte unâ extitit & nocte unâ periit.

חסת) Propriè *Connivere.* Hinc *Parcere* & *parci velle* s. indolescere alteri.

בן־לילה) *Filius noctis* i.e. natus unam noctem. Conf. Glassius *Phil.p.474.* Dilherr. *Ecl.Syr.p.478.* Mercerus: *Sicut unà nocte crevit, sic unâ nocte periit. Unde unum tantum diem ricino lætatus est Jonas. Sub vesperam enim diei præcedentis germinare cœpit & totâ ea nocte: ita ut die seqventi umbram Jonæ faceret, unde ille tantoperè gavisus: ejus diei vesperâ cœpit exarescere, atq; adeo in totum diei tertii auroræ exaruit.*

v. XI.

Et ego non parcerem Ninevæ urbi maximæ, in qua sunt plures duodecim myriadibus hominum, qui nesciunt discrimen inter dexteram & sinistram suam, tum pecudes plurimæ?

ואני) Nunc exponitur finis, scopus & applicatio præcedentis historiæ (qvæ præparatio qvædam erat & materia seqventis colloqvii) adeoq; exhibetur elegantissima qvædam chria activa. Nam Deus ideo illum Kikajon tàm subitò produxerat rursusq; arefecerat, ut eô typô haberet stringens argumentum à minori ad majus convincendo & corrigendo Jonæ. Q.d. Nunc cogita, Jona, & institue proportionem, uter nostrum justiorem causam habeat miserendi, num ego ob Niniven, an tu ob Kika-

jon ? Qvis tu ? Miser homo. Quis ego ? DEUS omnium Creator. Tibi in Kikajon, qvem servatum cupis, nil juris, nec manum nec pedem ejus causâ movisti : Annon ego potiùs servatam cuperem Niniven, qvæ mea est, qvam plantavi, qvam educavi, qvam per tot annos auxi? Qvid Kikajon? Vilis planta, citò oriens, citò moriens. Qvid Ninive? Urbs formosa & populosissima, referta tot myriadibus hominum, qvorum qvilibet præstat mille ricinis, nec tantum adultorum per pœnitentiam mihi reconciliatorum, sed & parvulorum, qvi ad annos discretionis non venerunt, nec talis excidii mihi causam dederunt; & si te fortè hominum non miseret, qvid fecere tot bruta animantia, qvæ hominibus non minus prosunt, qvàm tuus Kikajon tibi. In qva DEI informatione Jonas in se descendens acqviescit & tacendo agnoscit lapsum.

רבו) *Myrias* i.e. 10000. & 12. myriades 120. millia, à *multitudine*. Est n. excellens *multitudo* myrias. Is numerus parvulorũ erat, nec tamẽ plenus. Hinc conjectura de numero adultorum fiat.

לא ידע בין ימינו) Non est descriptio Ninevitarum qvorumvis, qvod antè de Deo nil sciverint, ut vult Abravanel, sed circumscriptio ætatis parvulorum, in qvibus nondũ est discretio rationis & judicii, ut sciant utra manus dextra sit, utra sinistra. Nam notanter dicitur לשמאלו & ימינו, non בין ימין ושמאל, qvod facilius torqvere posset Abravanel. Et numerus 120. millium nimis angustus est pro omnibus Ninevitis tàm magnis qvàm parvis. Ex occasione notabimus, frustrà hinc *Pelagianos* collegisse, teste Hieron. *l. 3. adv. Pelag.* infantes peccati expertes esse, cum hic de parvulis nec negetur *peccatum originis*, in qvo omnes homines ordinariâ naturæ viâ ab Adamo descendentes concipiuntur & nascuntur *Job. 14. 4. Ps. 51. 7. Joh. 3. 6. Rom. 5. 12.* nec *actuale* qvodcunq;, sed *malitiæ*, qvod contra scientiam & conscientiam designatur & in cœlum clamare potest. Frustrà qvoqve ex h. l. *Pontificii*, *Calviniani*, & imprimis *Anabaptistæ*, licet nec eâdem intentione nec eodem modo, fidem infantibus baptizatis denegant, qvasi illis hîc negetur notitia. V. Bellarm. *l. 1. de*

de Baptism. c. 11. Cornel. à Lap. *h. l. p. 396. b.* Calvinus *l. 4. Inst. c. 16. s. 19.* Beza *Resp. 2. ad Coll. Mompelg. p. 97. &c.* Cum fides sit *notitia supernaturalis* supernaturali modo à Sp. S. per *verbum* non tantùm *audibile*, sed & *visibile* & elementô aqvæ in baptismo vestitum excitata, qvã τὰ βρέφη habere Christus testatur *Matt. 18. 6.* iisq; *jus regni cœlorum* (qvod nonnisi *fideliũ* est *Marc. 16. 16. Joh. 3. v. 18. &c.*) *tribuit Luc. 18. 16. 17.* Huic *supernaturali notitiæ* nil derogat negatio *notitiæ naturalis* rerum mundanarum actualis (maximè cum ratio, qvà talis, fidem non tàm juvet, qvam impediat) nec seqvitur: Naturalem notitiam non habent infantes. E. nullam. Conf. D. J. Wigandus *Anabaptism. p. 143. s.* D. J. Affelman *Diss. de Fide infantum*, D. Joh. Tarnovius *h. l. p. 142.* Sed hæc אגב אורחא.

QVÆSTIO I.

Qvando Jonas exierit urbe?

Theodoretus, Lyr. Castr. Drusius, Mercerus, &c. censent Jonam exiisse ante terminum 40. dierum, cùm scil. concionem finiisset & vidisset Ninevitas resipiscere. Contrà *Corn. à Lap. Oecolamp. aliiq.* malunt exiisse post diem 40. tunc enim scire demum potuisse & expertum reipsa esse Niniven non eversum iri: exspectâsse autem pleniorem rei exitum, ut videret num omninò, an ex parte tantum sententiam suam revocârit Deus: Sperasse sc. Deum aliqvam saltem cladem iis inflicturum. Abravanel *f. 259. 4.* ait exiisse eum ante diem 40. cum Deus in urbe ipsi revelasset se veniam Ninevitis daturum: & exspectasse annon alia qvædam pœna mitior reservata sit seu omnibus, seu potioribus, seu fanis saltem idolorum, qvò refert exemplum μοσχολατρῶν *Ex. 33.* Nobis verisimillimum est, Jonam exiisse ante diem 40. scil. cum suo officio plenè defunctus esset, & cum termino isto præterlapso videret (nam interea in tugurio suo exspectarat) nil mali urbi contingere, efferbuisse. Itaqve verba וישב/ויצא & ויעש *v. 5.* exponi debent per *Plusquamperf.* (ut aliàs non insolens. V. Glass. *Phil. p. 642.*) & inseruntur istic παρενθετικῶς ad meliorem intelligentiam seqventis narrationis de *Kikajon*, cui sic via qvasi sternitur. Nam ad intelligenda priora *à v. 1. ad 5.* non

adeò pertinebat nosse, qvod Jonas tugursibiumi struxerit subqve eo latitarit. Certè capiendum esse ויצא in *Plusquamperfecto* haud difficulter concedet, qvi probè expenderit, hæc duo vix posse, 1. Jonam in urbe exspectasse decursum diei qvadragesimi, cum non haberet speciale promissum (qvod constet) de solo se in mediâ πανολεθρία miraculosè servando. 2. Jonam efferbuisse v. 1. anteqvam videret diem 40. præterlapsum cum sciret ante diem 40. excidium iis non esse definitum, nec enim peculiaris revelationis in urbe factæ ullum extat vestigium.

QVÆSTIO II.

Qvænam planta fuerit Kikajon?

Decantata est disputatio *D. Hieronymi* & *Augustini*, qvorum hic inveteratam sententiam de *cucurbitæ* defendebat, ille eandem impugnabat & *hederam* substituerat, non qvod קיקיון seriò putaret esse hederam, sed aliqvid ipsi analogon; unde epistolis invicem expostularunt, qvin & Hieronymus Romæ à qvodam *cucurbitario*, qvem vocat, hæreseos & sacrilegii accusatus est, indigneq; habiti ejus asseclæ, ut ad manus res devenerit, de qvo certamine plura dabit Franc. Ribera *h. l.* &, qvi Calvini iniqvioremִ Ἀπίκρισιν castigavit, Vener. D. D. Calovius *in Anti-Grotianis h. l.* Nos lubentes de planta ista suum relinqvimus cuiq; judicium, cum sensui parũ decedat, dummodò plantam aliqvã speciosam & latis foliis concipias, qvæcunq; demum fuerit. Interim ceu probabiles admittimus eorum rationes, qvi volunt *ricinum* vulgarem Bauhini, qvi Arabibus *Alcherva*, Ægyptiis κικι, Talmudicis צלוליבא, Græcis κρότων, aliàs *Pentadactylos*, *Sillicypria*, *Trixis*, *Cataputia major*, *Palma Christi*, Germanicè Creutzbaum vel Wunderbaum dicitur. 1. Convenit Etymon. Deducunt enim קיקיון à קיא *vomere*, unde & קיא *vomitus* & voce composita קיקלון & literis geminatis קיקיון q. *vomitoriũ* dicas. Grana autem ricini deglutita vomitum ciere testatur medici. 2. Convenit Ægyptium κικι, quod in Lex. Copto-Arabico *Ibn Scheichi* à Kirchero edito *c. 17. p. 585.* scribitur κυκι & Arabicè exponitur חב ארחרוע, estq; κρότων vel *ricinus*, ceu testantur Herodo-

rodotus *Euterpe p.295.* Theophrastus *l.1.c.38.* Galenus *de simplicibus,* Plinius *l.15. Nat. Hist. c.7.3.* Hieronymus tradit plantam Jonæ in Syria & Palæstina vocari *Elkerva* אלכרוע. Est verò אלחרוע Arabibus *ricinus,* probante Golio *Lex. Arab. c.699.* 4. Circumstantiæ textus ricinum admittunt. Planta Jonæ umbram faciebat & arcebat æstum solis. Jam, ut Hieronymus ait, *Elkerva* s. ricinus *est arbuscula latis foliis in morem pampini umbra densissima suo se trunco sustinens in Palæstina maximè locis arenosis creberrimè nascens & sata citissimè consurgens* &c. Conf. Dioscorides *l.4.c.164.* Matthiolus, Dodoneus & alii. Consentiunt Talmudistæ *in Schabbat c.2.* Kimchi, Ben Melech, Arias, Jun. Merc. Drus. Pisc. Cocc. Grot. Belgæ, B. Tarnovius *h.l.* Schindlerus L. *r.* קיק, Buxtorfius *Lex. Talm. c.2029.* Hottingerus *Hist. Orient. l.c.* Martinius *voce Cici & Ricinus,* Sixt. Amama *Bibl. Conf. h.l.* Joh. H. Ursinus *Herbario sacro p.111.* Conf. & *Exerc. nostræ Bibl. p.143.s.*

QVÆSTIO III.

Cur Jonas tàm effusè ob ricinum lætatus & iratus sit?

Videtur gaudium Jonæ propter ricinum qvasi puerile, ut & seqvens ira ob arefactum ricinum. *Hieronymus* cumq; eo *Oecolamp. & alii* notant sciviſse Jonam, per arefactionem plantæ ejus designari excidium populi Israëlitici. Sed id in medio relinqvimus. Conf. qvæ de Typis ὑλικοῖς & μεϱικοῖς distingvendis habet Glas. *Phil. p.329. Snepsius* observat eum non tàm lætatum esse ob pulchritudinem plantæ & commoditatem tabernaculi sui, qvam qvod putaret Deum sic testari, se iviſse in ejus sententiam & impleturum nihilominus prædictionem. Q.d. GOtt beſtellet mir die Herberge. Hoc spectasse Jonam admittimus, dummodò prius ob *v.10* non excludatur. Delectabatur sc. Jonas fessus curis & sui tugurii frondibus arescentibus, tàm speciosa & amœna planta adeò insperato oblata à DEO. Cum verò privatur externo illo gaudio, putavit se jure irasci, cui omnia tàm infeliciter cedant, simulq; spe illa de Deo sibi gratificante excidit.

QVÆSTIO IV.

Cur Deus hominibus bruta jungat?

Per

Per bruta *Raschi*, *Abravanel* & alii qvidam intelligunt homines adultos ita *belluinos*, ut nesciant, à qvo creati sint. Sed Conf. B. Tarnovius *p.* 135. Potiùs, qvo magis Jonam moveret, bruta addidit: Si te hominum non miseret, *Qvid fecere boves, animal sine fraude dolo q.?*

QVÆSTIO V.

Cur Deus non urgeat, Ninevitas pœnitentiam egisse?

Coccejus *p.* 297. ait: *Non allegat Deus pœnitentiam Ninevitarum. Argumento id est, nil sinceri in ea fuisse.* Idem asseruerat Abravanel *f.* 260. 2. ubi respondet ad qvæstionem suam qvintam *f.* 258. 4. Sed fallitur uterq;. Excidium temporale poterat immitti, licet Deus & culpam & pœnam æternam remitteret. Itaq; argumentum à pœnitentia Ninevitarum ad condonationem pœnæ temporalis non ita movisset Jonam, atqve illud ab innocentia tum parvulorum, à tali culpa, qvæ παραλειφθεῖσα prædictam meruisset, tum brutorum à peccato omni.

QVÆSTIO VI.

Cur Prophetia & Historia Jonæ qvasi abrumpatur & justa careat clausula?

Imò efficaciss imus stimulus sic relinqvitur in animis lectorum. *Abravanel sub finem* notat ab iis, qvi *Haphtaras* disposuerint, prophetiæ Jonæ tres versus ultimos è Micha *c.* 7. *v.* 18. 19. 20. clausulæ loco adjectos esse. Sed Prophetia Jonæ completa est. Illorum aliud erat institutum. Nam Judæi amoliendo omini, qvod è clausula qvorundam librorum captant, solent iis alibi annectere appendicem, ἐυφημίας ἕνεκα. Conf. Buxtorfius *Abbrev. Rabb. p.* 107. 108.

תושלבע :

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn873765303/phys_0083
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn873765303/phys_0085
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn873765303/phys_0086
DFG

is in numerum Adsessorum Synagogæ Magnæ, quæ
emporibus, refertur. De R. ISAACI ABARBANE-
nstat ex *Rab.* DAVGANS, qui בצמח דוד p. 56.
ir: *Viri Synagogæ magnæ fuerunt homines nobis*
m mentio fit in versu. (Scripturæ) Atque juxta sen-
ac Abarbanelis præfatione sua ad נחלות אבות
decim, videlicet: *Haggæus, Zacharias, Malachias,*
rdochæus Bilschane telonarius, Esra sacerdos &
filius Jehozedec, Seriah, Rehaljah, Misphar filius
Babaneus, Nehemias filius Chacalice &c. Cui
R. MOSES BEN NACHMAN ad פרקי אבות
D GANS l. c. quibus gemella habet סדר עולם רבה
: *Et benedictæ memoriæ Mardochæus (hunc vero*
iisse Malachiam: conf. B. CALOVIUS in *Bibl. Illustr.*
Malachiam. Nec non Cl. J. HENR. HOTTIN-
esauro Philologico L. 2. c. 1. Sect. 2. p. 488.) *Haggæ-*
, omnes illi vaticinati sunt anno secundo Darii Nec
alistæ apud R. GANS l. c. neque ipse R. GANS, qui
commentatur: *Tempus autem Prophetæ Malachiæ no-*
vit scriptura, sed ex recensione Cabbalæ fuit hic Prophe-
ggæi & Zachariæ. Consentit & R. DAVID KIMCHI
chiam. Trium quoque horum Prophetarum terminum
m Rabbini collocant annum. Sic enim R. DAVID
. 57. dicit: *Haggæus & Zacharias & Malachias mor-*
442. Nititur autem ipsorum assertum auctoritate ac se-
סדר עולם *s. Chronici mundi minoris.* Et quamvis
IM FILIUS DAVIDIS בספר קבלה in *Libro*
, Haggæum, Zachariam & Malachiam & Esdram obiisse an-
t hic ab istis 6. annos differat, cui & adstipulatur *AUTOR*
ni p. 14. sufficit tamen, quod in unum eundemque ab
& Malachiæ mors ponatur annum.

MUS Proœmio in Malachivm op. T. 6. fol. 231. *EUSE-*
ic. L. 2. *THEODORETUS Proœm. in duodecim Proph.*
TINUS de Civitate Dei T. 2. L. 18. c. 35. p. 669. *LU-*
VES ad Augustinum de C. D. L. 18. c. 35. p. 672. *DRU-*
TABLUS apud *POLUM in Syn. Crit.* T. 3. p. 2049. *B.*

BALDI-